

90
f

143.

- I. Trypius de Iure Abbathi.
- II. Thomasius de Concubinatu.
- III. Beger de Concubinatu.
- IV. Grammlich de Testimonia expertat. sue de Concubinatu.
- V. Hierold Theologus de Concordia non vero fratris fratris.
- VI. Mari Pauli Antonini Confutatio dubiorum con-
- tra Schreidicoma Hallen de Concubinatu mortuum.
- VII. Reinbeck Ratzig de Concubinatu, iuris Pragmatico.
- VIII. Doctoris cuiusdam Theologi, Epistola disqui-
- stitionis de Concubinatu.
- IX. Willenbergij Iteratq; Praesidia Iuris Divini
- pro defensione Theorum suorum de Polygamia
- X. Simultanea de Polygamia adversus Meletium
- et Bepestro.
- XI. Beger de Concubita intra tempus lactus.
- XII. Riccius de Matrimonio ad Morganaticam
- cononationem contracto.
- XIII. Thomasius de Uso Practico actionis
- adversus Judicem imperite judicantem.
- XIV. De Uso Practico totali Inst. de Advo-
- cacionibus.
- XV. De Uso Practico tituli Inst. de
- Nuptiis.
- XVI. De Presumptione Alodialitatis.
- XVII. De Legitima viuentis.
- XVIII. Carrara legis Aquileia detracta.
- XIX. De Jurisdictionis et Magistratum
- Differentia secundum mores Germ.

- XX. Thomasius de Iure Principis circa
 hereticos.
 XXI. de Officio Principis Evange,
 liciencia auctoritate clarae
 et honores Ministeriorum Eccles.
 XXII. de Natura Progreſſus et In-
 terim Judiciorum Westphalia-
 bicorum.
 XXIII. de Iure agrariandi Principi-
 pis Evangelici in causis
 hominibus.
 XXIV. de Pactis Fatumorum Spem,
 saliorum, tam hoc ab aliis.
 De Toleria Domini.
 XXV. Triginta Capitula.
 Decas Legislationum Hi-
 storico Philosophico Juris
 dicitionis.
 XXVI. de Officio Directorum et Du-
 catorum Circularium in execu-
 tione sententiarum.
 XXVII. de Münchhausen de vi-
 caria Italico.



MARCI PAULI ANTONINI,
PHILOSOPHI TRIBOCCI,
CONFUTATIO DUBIORUM,
quæ contra Schediasma Halense
DE
CONCUBINATU
MOTA SUNT.

Argentorati, A.O.R.M.DCC.XIV.

(Vii.)

MARCI PAULI ANTONINI
PHYSICOCHIRURGICAE
CONFIRMATIO DUBIORUM
opus eiusdem M. Antonii
CONCUBINATU
MOTAT SONT

Altenmühl V.O.R.W.DCC.XIA



§. I.

Quamprimum, Religione tyrannicum Papatus Imperium *Frustrus insubire coacta*, exortum est illud execrabile monstrum Infal-labilitatis; adeo sors omnium mortaliū, quæ felicissima at *Papalis* que suavissima religione vera esse poterat, misera evasit, ut ne quidem vera sentientia libertas, qua nihil nunquam innocentius esse potest, integra relicta fuerit. Cetera quidem omnia tyranis odia, cades, avaritia, crudelitas, & quevis facinora vel sacro religionis nomine tecta, vel ut res exigui momenti negligenter neglecta fuerunt. Sola conscientia vel opinionis diversitas, ut omnium criminum maximum capitale erat, nullisque non cruciatibus, rogo denique ipso vindicabatur. Atque ut hæc vel mediis tenebrarum temporibus, vel inter eos, qui Papale jugum exosculantur, obtinuerunt; Ita optandum esset, ut Reformatione Evangelica subsecura suus quoque splendor religioni restitutus, omnisque tyrannis Papalis, quæ in opiniones atque conscientias a Clero exercabantur, simul excusa fuisset. Verum, bone DEUS! vix ipsi libertatem conscientiarum adeo exoptata nacti sunt Ecclesiæ Reformatæ Doctores, cum illam protinus iterum eripere miseris Laicis conarentur. Illud fateor, ea fuisse astutia, infallibilitatem ut ore calamoque tanquam dogma pestilentissimum rejecerint. Ast vero, quid Pleudorthodoxismus, quo tot calamitates excitari quotidie cernimus, ab illo monstro difterat, cuivis sapienti facile patet. Videmus enim omnia potius crimina Cleri nostri merere conniventiam, quam vel minimam, opinionem etiam in se verissimam, & minimum neque religionis, neque moribus civilibus quo modo adversam, sed quæ saltē a receptis doctrinarum Scholastico-Theologicarum formulis discrepat; atque hanc vel odioso hærefoes caractere signari, vel scandalum appellari, omnesque fraudes committi ad illam igne ferroque, si quidem tantum valerent, prosequendam. Nec vero quidquam prodeft ad vim & injurias mitigandas ulla circumspicio vel innocentia. Ita, enim suspicax est ille Pleudorthodoxismus, ut nec mille cautions, quibus mores introducti, receptaque leges tam civiles quam Ecclesiasticæ ab omni immutatio-

Et pseudorthodoxismi nostri.

tione, imo etiam ab oīni censura tūentur, sufficient; nec ulla amicitia
consideratio, non denique publica honestas vel decorum hunc inter-
peſtivum, zelum dicam an furōrem? reprimere valeat.

*Exemplum re-
centissimo.
nōtenſis.*

* *J. I. p. 2.
seq.*

** *p. 4. lit. d*

Si quis putet, justo iniquius hac in Clerum nostrum dicī, consideret
quālo clamores atq; turbas adversus *Schediasma Halense de Concubina-
tu motas*. Illustris Autor, cui universa Germania de restituta saniori Phi-
losophia atq; Jurisprudentia immortales debet gratias, cum in publica il-
la dissertatione præcipuarum Gentium, Ebræorum ante & post Legem
Mosaicam, Græcorum, Romanorum, Christianorum; tam Orientalium
quam Occidentalium mores in concubinatu percurseret, non solum pri-
mo statim ingressa declaravit: * Non ēſi animū defendere licen-
tiā concubinarū, nec impugnare Leges bodie receptas, concubinatum sub-
pēna prohibentes; saltem id offensurū, concubinatum nec ad fornicationis,
nec ad stupri, nec ad adulterii genera oīm, tam apud Hebræos,
quam apud Romanos, etiam in primis seculis Chriſt. Relig. pertinuisse,
sed inter concubinatum & matrimonium aliquam quidem, verum exi-
guam, differentiam fuisse. Quod vero bodie pro stupri, aut fornicatio-
nis, aut adulterii ſpecie habeatur, ejus originem deberi Juri Canonico,
& ex parte hypothēſi Jur. Pontifici a Protestantibus jure optimo maxi-
mo negare, quod matrimonium sit sacramentum; Verum etiam, ne hæc
afflertio minus feria videretur, paulo post addidit: ** Non ideo, quod Origo
Concubinatus prohibiti viriſa sit, prohibitionem ipsam virtuosam eſſe.
Necessitatem benedictionis facerdotalis in matrimonio legitimo hanc
dubie originem debere hypothēſi Pontificie de Sacramento matrimonii,
propterea tamen non solum recte Principes Protestantē necessitatem
hujus benedictionis retinere, sed & imprudenter ac̄turum, qui Principe
Protestanti persuadere vellet, ut necessitatem illam Lege publica abroga-
ret, et si quibusdam in locis Evangelicae Religionis illa certo modo sit ab-
rogata. Quid, quod & sub finem dissertationis ipsem̄ solidissimis rationi-
bus concubinatus toleranciam vel introductionem hodiernam impugnat-
vit, atque ostendit; p. 65, seq. lit. e. (1) Non omnia apud omnes eſſe ho-
nesta vel turpia, & quemlibet bonum Civem debere sequi mores
sui populi; hinc quamvis apud Hebraeos & Romanos Concubinatus
fuerit licitus & honestus, ceteris tamen apud nos rationibus sta-
tus Hebraici & Romani, posse eum apud nos etiam eſſe inhone-
ſum & turpem. (2) Concubinatum ad matrimonium relatum,
et si non sit ſcortatio, tamen eſſe ſtatutum imperfectiorem matrimo-

8103

nio, secundum mores omnium gentium, nec apud ullas gentes dubium esse, quin sepe vagæ libidinis studium sub concubinatu pallietur. (3) Nullam ostendi posse vel verisimilem rationem, cur in Rep. Christiana iterum post abrogationem debeat introduci concubinatus; Non favorem juvenum cito nimis de conjugione cum sexu feminino cogitantium, qui v. g. in scholis vel Academiis nupturiant, ante quam ad personam patris familias decore sustinendam sint apti; Non favorem adulorum aut vi duorum, eo praetextu utentium, se esse impares ad sustinenda onera matrimonii pro dignitate justæ uxoris, aut se nelle liberis prioris matrimonii novercam superinducere. Nam his apud nos hodie consulum est per matrimonium ad morganaticam, quod a Concubinatu Romanorum saltem in eo differt, quod hic accedat benedictio sacerdotalis, & libertas dimittendi talem uxorem sit ademta; vel etiam si viri non sint in dignitate illustri constituti, adeoque horum intuitu non sit receptum matrimonium ad morganaticam; his tamen non difficile fore invenire uxores, que non desiderent sustentationem eorum patrimonium excedentem. (4) Plerumque ab iis, qui libertatem repudiandi concubinam pro lubitu tanquam favorem insignem estimant, concubinatum pro pallianda vagæ libidine appeti, eosque adeo parum dignos esse, ut iis leges succurrant.

Hic tot ac tam serius de vero scopo atque usu dissertationis admonitionibus, quis non credidisset, omnem calumniandi occasionem omnino praescivit iri. At enimvero non sufficiebat, concubinatus prohibitionem hodiernam defendisse. Adeo namque invidiosus est Pseudorthodoxismus, ut ne quidem diversos aliarum gentium vel seculorum mores æquo possit ferre animo, id scilicet postulans, omnes ut Patriarchæ & Israelitæ decretorio iudicio condementur, neque usquam vel unquam quid legi possit ab infallibilitate sua alienum. Igitur vix comparuit hæc illustris Dn. Thomasi dissertatio, cum velut in re omnem religionem subvertente non solum indecora publice susciperetur in ipsa Academia contra illam disputatio, verum & omnia per totam regionem fierent ad molestias illi creandas. Atque hoc velut clasico excitatos certatim bellum indixisse videmus alios. Quod si vero erudiant isti homines, in arenam cum ipsis descensurum Illustrum Dn. Autorem, vereor, ne quam maxime fallantur. Nec enim ejus generis est contentio, a qua salus Religionis vel R eipublicæ pendeat, cum ipsem Dn. Autor ultro fateatur, concubinatum hodie jure optimo maximo prohiberi. Solum ergo lis omnis in eo vertitur, an Patriarchæ & tot sancti sapientes-

entesque viri in Republica Mosaica, apud Romanos & Christianos ob id reprehendendi, quod in Concubinatu vixerint, & an Christus & Apostoli de Concubinatu unquam aliquid disposuerint? Hæc negat Dn. Thomasius, Pseudorthodoxi ajunt. Quicunque demum viator evadat, id nemini potest esse præjudicio, cum utraque pars, ut jam dictum est, in hoc conveniat, concubinatum hodie justis ex causis illicitum esse. Arque adeo cum de opinionibus saltē pugnetur, Illustris Dn. Autor facile suo sensu abundare quemvis patietur, nec, ut ego quidern credo, ab illo expectanda erit illa responsio. Quanquam vero nec dissertatione Ejus de Concubinatu ulla apud homines affectibus & præjudiciis vacuos defensione egeat; ne tamen forte adversarii glorientur, vim argumentorum suorum silentium ei imposuisse, commotus sum in gratiam Præceptoris olim mei, xternum devotissime colendi, proprio certe instinctu & illustri Dn. Thomasio plane inscio ad ejus defensionem suscipiendam. Et quanquam in me satis agnoscam imbecillitatem virium, quæ cum eruditione Dn. Adversariorum nunquam sane comparari queant; eas tamen contra tam levia atque vana ratiocinia, quibus illi hac in re usi sunt, sat roboris habituras confido.

§. II.

Pramittuntur quedam supposita. Antequam vero singillatim ad uniuscujusque respondeam dissentientis argumenta, præmittenda omnino videntur sequentia postulata:

1. Cuilibet homini a DEO O. M. appetitus atque inclinatio naturalis ad conjunctionem cum individuo diversi sexus, itemque ad procreationem sibi solis inditus est; qui appetitus, utpote a DEO ortum trahens, laudabilis est neque IN SE ullo modo pro malo habendus.

2. Cum vero omnia media necessaria ad hunc finem consequendum pariter licita judicari debeant; relinquenter commixtio carnis sive concubitus cum individuo diversi sexus IN SE SPECTATUS etiam laudabilis sit, nec mali quidquam contineat.

3. Benedictio Sacerdotalis in sensu absoluto non est necessarium requisitum ad conjunctionem maris & foeminae.

4. Consequens est, ut nec concubitus IN SE CONSIDERATUS per hanc demum copulam sacerdotalem legitimus fiat; nec concubinatus eam ob causam reprehendendas sit, quod in eo sacerdos deficit; vel pro libidinoso habendus, ob solum concubitum viri & concubinae.

§. III.

§. III.

Deinde ante omnia Termini, hac disputatione occurrentes, *Et definitio-*
perspicue sunt explicandi, ut ne logomachia vel confusio suboriatur. *nies:*
 Deprehenduntur autem haec fere species commixtionis carnalis inter
 homines, hoc loco commemoranda:

I. *Fornicatio* s. *Scortatio*; quæ est concubitus vagus sola libidinis gratia cum meretrice h. c. foemina, quæ corpore quæstum facit.

2. *Stuprum* est concubitus cum foemina honesta libidinis impulso solo peractus.

3. *Matrimonium* specialiter sumptum, quatenus concubinatu contradistinguitur, est individua societas viri & uxoris procreandæ sobolis causa & ad evitandam libidinem inita, solennibus in Rep. ceremoniis, v.g. benedictione sacerdotali, roborata, effectibusque civilibus, quæ in participatione dignitatis mariti, jure dotium, & successione liberorum consistunt, donata.

4. *Concubinatus* s. matrimonium secundarium & inæquale est societas sive conjunctio quædam domestica æctior, eaque sine præviis solennitatibus inita, maris cum foemina, alium maritum non habente, absque affectione maritali, hoc est, absque communicatione dignitatis, qua maritus pollet, ad evitationem scortationis & libidinis inordinatae, non exculata tamen omni intentione procreandæ sobolis, pro lubitu & absque præviis solennitatibus solubilis, effectibus vero civilibus destituta.

§. IV.

Status Controversiæ in genere formare nequit, cum adversarii *Summa Dis-*
 inter se ipsi non convenient, sed alter id neget, quod alter approbat. *Dissertationis*
 Ut tamen series omnis contentionis dilucidius patescat, nec vel quic- *Thomasiæ*
 quam dissimuleretur, vel etiam cuiquam aliquid præter mentem affinga- *de Concubino-*
 tur, primo summam totius Dissertationis Illustris Dn. Thomasi, postea *naturæ*
 cuiuslibet adversarii argumenta brevibus thesibus includam.

I. Nullibi quidem in hac dissertatione expressis verbis dixerat Dn. Thomasius, concubinatum, prout illum (upra descriptum), naturali jure licitum esse. Quoniam tamen implicite id quibusdam locis contineatur, & idem Vir Celeberrimus in Instit. Jurisp. Nat. clarius asseruerit; defendemus contra Adversarios: *Concubinatum Jure Naturæ ne-*
que quoad principia justi, neque honesti, neque decori, contrarium esse.

II. *Ante Legem Mosaicam* (tunc verba schedia[matis Halensis]) *Concubinus erat conjunctio facile dissolubilis, maris, etiam uxorem jam habentis, & feminæ, alium tamen maritum non habentis, absque affectione maritali, liberorum procreandorum causa.*

Inter matrimonium igitur & concubinatum illo tempore exigua fuit differentia, & nulla fere alia, quam ut justæ uxores participarent de dignitate mariti, concubinæ vero essent ancillæ vel ex genebre obscuro nate.

Nunquam vero tum temporis vel pro scortatione vel pro stupro vel pro adulterio habeatur.

III. *Lege Mosaica Concubinus non fuit prohibitus.*

Pro Concubinis usurpatæ sunt vel feminæ Israëlitæ, quæ uxores duci poterant, vel ancillæ & peregrine s. extraneæ, quæ Israëliticam religionem non profitebantur, etiam si essent profylæ domicili.

Concubinus cum ancilla & extranea etiæ non fuerit laudabilis, ob metum idolatriæ, fuit tamen impunitus.

Utriusque generis concubinæ nec pro stupratis, nec pro meretricibus, nec pro adulteris habite.

Concubinus a matrimonio justo secretus fuit (1.) quod concubinæ non in pari dignitate fuerint constituta, ut uxores; (2.) quod concubinus contraheretur sine pactis dotalibus & precedentiis sponsalibus, aliisque justiarum nuptiarum solennitaribus; neque etiam (3.) libertas dimittendi concubinas, viris induita, per Legem Mosaicam restricta, aut ad solennitatem dandi libelli repudii astricta.

IV. *Neque a Christo vel Apostolis prohibitus fuit Concubinus.*

V. *Jure Romano ante introductum Christianismum, Concubinus erat licitus & honestus, imo honestior quam apud Hebreos, quia turpe apud Romanos habebatur uxori concubinam superinducere.*

Inibatur concubinus cum provincialibus libertis & ancillis; non erat cum ingenuis nisi obscuro loco natis & in honestis, vel si quis expressa testatione manifestum fecerit, quod eas concubinarum loco habere velit.

Con-

Concubina vero nec pro adultera habebatur, nec pro stuprata, nec pro mercetrice, sed pro ea, quae uxoris loco interim esset & dignitate saltem ab uxore differret, atque pro libitu sine ulla solemnitate dimitti posset.

VI. *Etiam sub Imperatoribus Christianis usque ad Leonem VI. concubinatus unius cum una nec pro scortatione aut actualio libidinosa, sed pro licito & honesto fuit habitus.*

VII. *Autoritas Patrum Ecclesiae, parum in Philosophia Morali versatorum & imprimis Ambrosii, Hieronymi & Augustini, prima fundamenta iecis opinionis postea exortae, qua concubinatus etiam unius cum una pro scortationis specie fuit habitus.*

Non tamen private opiniones horum Patrum in Ecclesia communiter receptae sunt ante Novellam Leonis.

Imperator Leo VI. Philosophus, qui sub finem Seculi IX. vixit, primus concubinatum prohibuit.

VIII. *Sub Imperatoribus Germanis concubinatus viri, qui uxorem jam habebat, quidem prohibitus erat sub mulcta pecuniaria; ratione eorum autem, qui uxores non habebant, mansit quidem differentia inter uxorem & concubinam, concubinatum & matrimonium, sed saltem quoad perfectionem & honestatis gradum.*

IX. *Rationes Juris Canonici contra Concubinatum his nituntur principiis: (1.) Matrimonium esse sacramentum non sacramentale esse illicitum, imo fornicationis & adulterii speciem. (2.) conventionem parium privatam non esse matrimonium, nisi accederet benedictio sacerdotalis publica. (4.) Dimissionem uxoris circa adulterium esse contra prohibitionem Christi, etiam si alias gravissima divorciu causa subesset, que etiam in prioribus post Christum natum seculis ab Ecclesia fuisse admissa. (5.) Cessare causas permisso lim Concupinatus apud Hebreos & Romanos.*

Nibilominus Concubinatus usque ad tempora Pontificis Leonis X. tolerabatur. Cum enim Pontifices Clero omni matrimonio interdixissent, & tam donum continentie ipsi concedere non possent, permittebant libidines omnis generis nefandas, & adeo etiam libidines sub specie Concubinatus palliatas, ita ut Clericus ille pro casto haberetur, & laudando, qui una saltem concubina contentus esset.

Tandem, vero cum Laici de lascivis Cleri gravissime conquererentur Leo X. Pontif. post initium Seculi XVI. in Concilio Lateranensi prohibuit Clero concubinatum, astute magis, quam serio.

X. Neque Lutherus & Theologi Wittebergenenses initio Reformationis concubinatum omnem pro statu turpi & valde scandaloso habuerunt.

Posteaquam vero in Ordinatione Politica Francofurtensi A. 1577. renovata probitatio Juris Canonici repetita fuerat, ab illo tempore Theologi pariter & Jure Consulti Lutherani constanter responderunt, concubinatum etiam unius cum una, etiam non uxorati cum soluta, non esse permittendum.

XI. Neque patitur hodierna Reipublicae nostrae constitutio, ut post hanc abrogationem iterum introducatur.

§. V.

Summa dis- Jam videamus, quid ab Adversariis contra haec omnia repositum sit.
sertationis a Primo quidem illa publica disputatione impugnavit Reverendissimus
Dn. Abbat Do. ABVAS BERGENSIS, Collega Dni. Thomasi longe amicissimus, cu-
Bergensis op- jus argumenta singula eo ordine, iisdemque fere verbis, quibus scripta
posite, sunt, hoc loco producemos, sed in nervum contracta.

I. (§. 1. & 2.) Confiterut Dn. Abbas, *Concubinatum in sacra Scriptura, maxime N. T. expressis verbis & narratō p̄ntō non damnari, nec ullam ejus mentionem fieri.* Nihilominus putat, inde non sequi, *damnatum non esse narrā dīavoīā fere implicite.* *Multas enim res in scriptura, teste Gregorio Nazianzeno, cum sint, minime dici, hoc est, cum sint illicitae, minime disertis verbis probiberi.*

II. (§. 3.) Fundamentum dijudicande questionis ponit Matth. XIX, 4. 5. 6. 7. 8. 9. quo loco contineri ait interpretationem institutionis matrimonii, Genes. II, 22. 23. Ea enim docere Christum, vi institutionis divinae omnem unionem in unam carnem, quæ fieret cum feminā dimisibiliter, esse illicitam. Fuisse ergo concubinatum usque a Christo prohibitum ac datum in Nov. Test. & quidem eo ipso quam maxime, quod hunc Concubinatum dimisibilitas ingrediatur essentialier, contra divinam institutionem unionis inter marem & feminam.

Imo (§. 4.) ne quidem ejusmodi Concubinatum, quæ dimisibilitate coniugio opponeretur, Lege Mosaica permisum fuisse. Concubinatum enim Patriarcharum aliorumque Israëlitarum non fuisse oppositum conjugiūstarii, verum inclusum, i. e. concubinas fuisse individuas.

Ex intentione Dei hic terendisse preceptionem de libello repudii, ut te-
 starentur eo ac recordarentur, sibi ex prima va conjugii institutione haud
 licitum esse divorzium, v. Marc. X, 8. 9. Quocirca minime esse, quod dubi-
 temus, an libertas divorzii debuerit etiam dari secundaria uxoris. Precepit enim esse generale, nullam speciem excipiens; Neque deesse
 rationem sensus universalis simili. (1.) Non minus secundariam, quam pri-
 ma.

mariam conjugem, ex institutione fieri carnem unam, & secund. Christi doctrinā inseparabilem. Quando nimirum mas feminā non dignetur reputare uxorem suā, ut Institutio expressè habeat; illum esse testem adversus semetipsum, quod cum ea ipsum non Deus conjunxerit, verum præpostera arbitrii sui malitia. Nec vero vel eum legitime carnem fieri unam, qui conjugum verbis quasi initum, non re comprobet, sicutiam non declarans suam uxorem coram Ecclesia seu Christiana Rep. iis ritibus, sine quibus hæc conjugium nullum vere consummatum agnoscit. (2.) Ex Deut. XXIV, 1.2.3.4. intelligi, nisi datus fuisse repudii libellus secundis etiam uxoribus, publicum illud documentum cessaturum fuisse, quo deterriti fuerint & accipientes & dantes, ne iste ad maritum primum, si nupsisset alteri, redirent unquam, neque hi ipsas reciperent: id quod ab omniatio fuerit coram Iehova, qva quis fecerit terram peccare.

III. (§.5.) Alteram causam, ob quam Christus & Apostoli non potuerint Concupinatum licitum censere, ponit Dn. Abbas in defectu amoris conjugalis. Quemadmodum enim, ait, ipse Dn. ex institutione in marito requirit conjugis unitarem, ita unionem pariter haud vulgarem inter eos, sed talem omnino, ut præ patre & matre ipsi ille adhaereat, neque aliter, quam ut ipsam estimet unice ac solemniter UXOREM SUAM. Ita enim AFFECTUS MARITALIS, citra quem publice testandum nulla commixtio ad ipsam unionem in unam carnem, que divinitus instituta est, referri possit, optime explicatur, Eph. V, 21-33. Ex qua observatione duo illa necessario consequuntur: (1.) Ut Christi atque Apostolorum tot locis frequentata Emphasis, maxime 1.Cor. VII, 2-9. de PROPRIIS vel SUI uxoribus, plane sit exclusiva adversus omnes alias, que uxores non sint. (2.) Ut omnia dicta, quibus scortatio & adulterium damnatur, rōro opponantur legitimo; ideoque ea tam concubinat quenvis, quam religiosas flagitiū species prohibeant.

IV. (§.6.) Si Christus adventu suo ne soleme qvidem Mosaica autoritate pollens divortium pro suo officio debuit tolerare amplius, debebat multo magis ejusmodi concubinatum prohibere. Qvicquid sane ob duritatem cordis sub Ver. Test. Oeconomicia permisum fuerat, sicut libellus repudii & pellicatus, id omne ipsa Christi presentia abrogatum erat, cessabatque ex ea causa, quod ipse assertet omnibus gratiam pro gratia, Joh. 1, 16, hoc est, loco illius gratiae, que in umbris & dispensationibus confitterat, gratiam longe praestantium. Quo etiam recipitur Apostolus iis, 2. Cor. V, 17. Vetera preterierunt, ecce nova facta sunt omnia. Ergone omnes umbre, omnes quoque dispensationes Leviticæ preterierunt? solus autem concubinatus ille, quine meretur quidem reputari inter vetera dispensationes

bilia, cum Christo consistere adhuc potuit? Ergo omnia corda sunt facta nova in Christo, quodquod ipsius Spiritui non pertinaciter resisterent: & nihilominus hic fædissimus concubinatus in novis cordibus simul locum habuit? Absit omnino! &c.

Iterum vero atque iterum monemus, consecutionem a rebus Ver. Test. abrogatis, cum quibus nil commercii habet turpis concubinatus, de quo nunc agitur, adhibitam modo esse, tanquam argumentum, &c. ut absurdum eo evidenter redderetur.

V. (§. 7.) Eadem fuere fundamenta, ex quibus S. Patres, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, ceterique uno ore ac corde Concubinatum damnarunt, &c.

§. VI.

Respondetur. His quidem rationibus Reverendiss. Dn. Abbas Bergensis ad Argum. I. munem de concubinatu opinionem propugnavit. Nostrum jam erit, §. 1. & 2. codem ordine, quo posita sunt ejus argumenta, ad singula respondere.

Et primo quidem, ex eo ipso, quod nullum in N. T. verbum de Concubinatu reperitur, satis appetat, omnem disputationem esse non quidem de sensu & intellectu expressi cuiusdam dicti scripturæ, sed de sensu latente & implicito, atque de argumentationibus ex affinis materiais v.g. matrimonio, fornicatione, libidine &c. collectis, ut adeo mirum non sit, rem dubiis, subiectam esse, diversaque subiori opiniones. Quare non possim non iniquum adversariorum animum notare, quod de re ejusmodi tot clamores excitant, cum ipsimet necesse haberant confiteri, nusquam in S. Scriptura expressam reperi prohibitionem, seque omnes fundent in argumentis quam longissime quaestis, & plane ad rem nihil facientibus.

Illiud sane negligendum non est, Concubinatum & apud Judæos, & apud Graecos, & apud Romanos tempore Christi & Apostolorum frequentissimum fuisse, neque tamen ullibi vel a Christo, vel ab Apostolis condemnari vel reprehendi, quod omnino necessarium videtur fuisse, si quidem vitiosus iudicari debeat; tum quia Concubinatus nec iuri naturali, nec divino. Veteris Testamenti adversatur, tum quia videmus Apostolos saepissime scortationis, adulterii, concubitus, sodomitici &c. mentionem facere distincte, & Apostolus in recensendis operibus carnis Gal. V. 19. adulterium, scortationem, impunitatem, distincte memoret; de Concubinatu vero nusquam loquatur. Conf. omnino Schedias Halens de Concubin. §. XVII. not. lit. e. p. 35.

§. VII.

Ad argum. Cum igitur, ipsis adversariis fatentibus, expressè nusquam pro II. §. 3. & §. 4. habitus sit neque a Christo neque ab Apostolis concubinatus, videamus an

an implicite alicubi prohibito lateat, & per indirectum bona consequentia colligi possit.

Fundamentum dijudicandæ quæstionis cum a Dn. Abbatे ponatur in Matth. XIX, 3; seqq. placet totum textum huc referre:

Matth. XIX, 3-12.

3. *Tum accesserunt ad Jésum Pharisæi, tentantes eum, & dicentes illi: Licene homini dimittere uxorem suam, quævis ex causa?*

4. *Ipse vero respondens dixit illis: An non legistis, quod is, qui fecit ab initio masculum & fœminam, fecit eos;*

5. *Et dixit: Propterea deseret homo patrem & matrem, & adhæret uxori sue, & erunt duo in carnem unam.*

6. *Quare non amplius sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus copulavit, homo ne separet.*

7. *Dicunt illi: Quare ergo Moses præcepit dare libellum repudii & dimittere illam?*

8. *Dicit illis: Quia Moses ob duritatem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fui sic.*

9. *Sed dico vobis: quod quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, adulterium committat; & quicunque dimissam ducat, adulterium committar.*

10. *Dicunt ipsi discipuli ipsius: Si sic est causa hominis cum uxore, non expedit matrimonium contrahere.*

11. *Ipse vero dixit illis: Non omnes capiunt: verbum hoc, sed quibus datum est:*

12. *Sunt enim Eunuchi, &c.*

Sed ut solidius omnia pertractentur, verba quoque Legis Mosaicae, de quibus loquitur hic textus, hue transcribemus.

Deut. XXIV, 1-4.

1. *Cum vir acceperit uxorem, & cognoverit (maritaverit) eam, fiat que, ut illa non inveniat gratiam in oculis ejus; PROPTER ALIQUAM FOEDITATEM; etiam scribat ei libellum repudii, & tradat in manum ejus, & dimittat eam de domo sua;*

2. *Exeat itaque e domo ipsius, eatque & fiat alius viri;*

3. *Et si vir ille alius (posterior) ceperit eam odio habere, scribat & ipse ei libellum repudii, tradensque in manum ejus dimittat eam de domo sua; aut si vir ille posterior mortuus fuerit, qui illam duxerat uxorem;*

4. *Non poterit maritus ejus prior, qui illam a se dimiserat, redire ad ducendam illam, ut sit ipsi in uxorem, postquam polluta fuit; quia abominatio-*

minatio est coram Jehovab, & non facies peccare terram, quam Dominus Deus tibi dedit in hereditatem.

Jam vero, ut quam clarissime appareat, Verba Christi supra relata, Matth. XIX. incongrue huc trahi, præmittenda quædam sunt omnino ex historia Judaica, sine quibus locus iste Matthæi nequaquam intelligetur. Scilicet verba Legis Mosaicæ de divortiis in lingua Ebraica quodammodo ambigua sunt. Cum enim dicitur, dari posse libellum repudii ob רָדְרָה quod vulgariter redditur *ob aliquam fœditatem*, illa verba variis sensu suscipere possunt, quod etiam Versiones testantur, quarum alia habent: *ob rem turpitudinis seu rem turpem*; alia: *ob rem fœdum seu indecorum*; iterum alia: *ob rem aliquam fœdam, que eam non decuerit, adeo ut eam non amaverit*; itemque: *ob fœditatem aliquam in ea personalem*; Lutherus vertit: *Um irgend einer Ursache willen ic.* Ex hac ambiguitate ortæ denique sunt duæ sectæ: diversæ apud Judeos, Hillelianorum & Sammæanorum. Sammæanus enim Jurisperitus, vir acriori semper atq; iratori animo, ut Seldenus eum describit, divortia non nisi ob turpitudinem rei seu causæ commissam, Hillel contra, etiam Jurisperitus, humano vir & placido ingenio, maritis indulgentior, non solum ob turpitudinem, sed etiam ob rem seu causam quamcunque aliam permetti volebat. Discipuli eorum, diversissimos Magistrorum mores sequuti, post eorum mortem in solenne Legis studium maxima disfida intulerunt. In Gemara Babylonica loco, quem citat Seldenus de Uxore Hebr. L. III. C. XX. p. m. 330, traditum ad hunc modum disputatæ Hillelianæ & Sammæanæ. Hillelianæ: *Nonne diserte in lege nominatur רָדְרָה i.e. res, ratio, causa, verbum?* Sammæani: *Nonne etiam diserte nominatur טַרְפִּיתָדו (in regimine, adeo ut turpitudo rei rationis, cauæ, verbi seu ipsa turpitudo simul designetur) Hillel: Si in Lege Turpitudinis sine adjectione rei, cause &c. sola mentio fuisset, non male dixerit forte aliquis ob turpitudinem uxorem posse ejici, sed non ob rem seu causam (aliquam aliam) unde siebat, ut etiam רָדְרָה seu res &c. adiceretur. Et si ḥ. i.e. rei seu cause &c. duntaxat mentio facta fuisset, non vero Turpitudinis, absurdum non fuisset dicere, repudiare ob rem seu causam aliquam (aliam) etiam alteri nubere fas fuisse, non item repudiare ob turpitudinem. Ideo interseritur etiam ipsa Turpitudo. Sammæanæ. At observanda est vis vocabuli רָדְרָה seu Rei &c. ut alibi ita hic. Alibi legitur: in ore duorum testimoniis aut in ore trium testimoniis firmabitur רָדְרָה seu Res qualiscunque. Ut Res ibi ad binos testes attinet, ita etiam in Lege de Repudiis ad binos testes attinet. (ita nimisrum,*

ut

ut ejusmodi sit turpitudo, ejusmodi Res, ut ejusce non sine binis testibus uxor rea peragatur) Hillel: *An vero scriptum est Turpitudinem in re? Sammæan: An vero scriptum est, aut Turpitudinem, aut Rem?* Hill: *Ideo scriptum est, Turpitudinem Rei, ut non solum Turpitudo in Re, sed etiam sive Turpitudo sive Res seu Causa qualiscunque intelligatur.* In hoc vero utraque lecta conveniebat, quod vocabulo *Turpitudinis*, non solum incestus vel adulterium, quæ graviora audiebant apud Judæos, sed & leviora, e. g. si uxor non velata, seu brachiis retefis, palam incederet, designaretur. Saltem Sammæanus nolebat uxorem repudiari, nisi tantummodo ob *Turpitudinem* sive *gravorem* sive *leviorem*, veluti si ut diximus, uxor egredetur capite aperto, discisis ad latera vestibus, aut brachiis retefis. Hillel vero non ob *Turpitudinem* sive *gravorem* sive *leviorem* solum, sed etiam ob quamlibet aliam *Rem*, si quid omnino sive domi sive foris faceret, quod viro displiceret, v. g. ob cibum nimio ardore coctum. Quod deinde Rabbi Aquiba adeo extendit, ut statuerit propter verba Legis: *Si non invenerit gratiam in oculis ejus, maritum, si invenerit aliam uxore sua pulchriorem vel commodiorem, eam dimittere posse.* Adeo autem invalidit Hillelianorum sententia, ut pro recepta passim in foro haberetur, Sammæanorum prorsus rejecta; ita tamen ut dum Christus in terris ageret, & aliquantum postea, lecta utraque pro more invicem digladiaretur, aliis hujus, illius alii doctrinam mordicus defendantibus.

Ex his intelligitur, valde captiosam Christo quæstionem a Pharisæis fuisse propositam. Sed cum hi crederent, alteruti sectarum adhæsurum, ille utramq; rejicit, tam Hillelianam quam Sammæanam; stauenens: (1.) neque *leviora*, ut aiebant, sufficere, quæ tamen Sammæani ipsi admittebant, sed *graviora* solum, ut fornicationem, &c. causas divortiorum esse. (2.) neq; etiam dimissam uxoren alii nubere posse, quod Lege Mosaica, ut ex superius relatis, Deut. XXIV, 1. appareat, permisum erat. Quam ob causam etiam discipuli Christi dicebant: v. Matth. XIX, 1. *Si sic est causa hominis cum uxore, non expedit matrimonium contrahere.* Et sane quam sapientissime Salvator rem decidit, tum quia juxta opiniones lectorum, maxime vero Hillelianæ, omne fere disserimen inter justas uxores & concubinas sublatum erat, cum illa tertiioris fere conditionis quam ha redderentur; tum quia per nuptias dimissa uxoris cum alio marito, hocque mortuo, vel iterum dimittente, per repetitas cum priori marito nuptias foedissimæ pollutiones fiebant, quæ fane abominatione erant coram *Jehovah*, &c.

Ug

Ut autem jam ex his præpositis ad argumenta contraria ordine respondeam; (1.) apparet ex ipso contextu, Christum quidem *pri-*
mo in genere pro suo officio, quod erat Doctoris gratiæ, non Legislatoris, *sua* *sæ* amore conjugalem, eumque talem, qui verbis primævæ institutionis responderet, ita ut vir & uxor ob illum amorem ardentissimum velut una caro essent; *deinde* tamen etiam, causis ad divortium legitimis existentibus, non omnem dimissibilitatem in conjugio improbase, cum ipsemet expressis verbis *vers. 9.* fornicationem excipiat; quibus nihil aliud signare voluit, quam divortia quidem ob *leviora* illa repugnare institutioni primævæ, non vero ob *graviora*, quibus *Judæi*, prout jam diximus, communiter fornicationem, adulterium, incestum, coitum cum uxore immunda &c, intelligebant. (2.) cum Christus in Institutione divina Genel. II, 24. se fundet ad probationem suæ decisionis, sequitur, nec illâ ipsâ indimisibilitatem conjugii absolute præcipi, sed utique etiam *graviores* turpitudinis causas pro legitimis causis separationis tacite approbatæ fuisse, cum alias Christus, dum fornicationem excipiat, institutionem divinam immutasset: Reponitur quidem in Disputatione Dni, Abbatis, §. III, lit. d, p. 6. *Exinde*, quod Christus excipiat causum scortationis, & Apostolus desertionem malitiosam, non permitti, quod Deus conjunxit, solvere; nec concedi potest statem dimitendi. Nam in his casibus supervenientibus nec prævisi, alteram partem nocentem vinculum disrumpere ultra, partem autem innocentem, si pro conservando matrimonio fecerit, quod suum est, se non separare, verum invitam derelictionem pati. Sed etiam si hoc quodammodo de malitia sua desertione verum sit, de fornicatione sane non est. Ibi namque pars innocens separationem pati dici nequit, sed si pro conservando matrimonio facere velit, quod suum est, divortium utique nunquam eveniet. Quam ob causam etiam in Consistoriis nostris in ejusmodi casibus persuasiones adhiberi solent, ut pars innocens misereatur partis nocentis & lapidæ, ac retineat in thoro; & placet hic S. Petri Encratitæ sententia, dicentis: Quod dissolubilitas matrimonii ab omni ævo obtinuerit, causa vero saltem fuerint diversæ, & quod monita Christi de indissolubilitate supponant misericordiam & lenitatem Christianam, cui utique etiam convenientius & laudabilius est, nec ob adulterium dimittere conjugem.

Finge vero contra veritatem Christum omnem omnino condemnasse dimissibilitatem in conjugio, idque ex mente primævæ institutionis, quid quo lo hæc ad concubinatum? Omnis enim disputatio Christi cum

Pha-

Phariseis solum de divorcio justi matrimonii erat; de concubinatu nulla plane quaestio esse poterat. Nam (1.) Lex Mosaica de divorciis, de cuius explicatione Pharisei Christum sciscitabant; de iustis solum uxoribus agit, quod verba expressa testantur: *Cum vir acceperit uxorem & maritaverit eam, &c.* itemq; verba Phariseorum: *Licetne homini dimittere uxorem suam &c.* (2.) Historia sectarum Sammæanæ & Hillelianæ docet, de concubinis & pellicibus nunquam disputationem fuisse, adeoque nec Phariseos de iis quæ si visse certum est. (3.) Si de concubinis ulla quaestio fuisse, Phariseatabisque omni dubio allegassent exempla Abrahami sui, Jacobi, Davidis, aliorumque, de quibus alcum hic est silentium. (4.) Concubinæ apud Iudeos non accipiebant libellum repudii, quod non solum ex verbis Legis Mosaica, quæ de iustis solum uxoribus loquuntur, & ex historia sectarum supra recensita patet, sed etiam exinde satis clare colligitur, quia cum natura sua concubinatus sit matrimonium inæquale, & concubinæ justis uxoribus viliores omni jure civili, tam Mosaico quam alio habentur, absurdum sane est, afferere, quod libellus repudii æque illis ac iustis uxoribus dari debuerit. Cum igitur de hoc libello solum inter Christum & Phariseos disputaretur, qui Concubinis dari non solebat, sequitur, nec de concubinis texum Matth. XIX. ullo modo intelligi posse. Dominus Abbas quidem *J. IV. lit. 6. p. 7.* minime dubitat, libellum divorciis debuisse etiam dari secundariis uxoribus, i. e. concubinis. *Preceptum enim,* ait, *fuisse generale, nullam speciem excipiens,* sed at saltem, non probat. Ego vero contra, præceptum speciale fuisse, uxores justas solum concernens, ipsis verbis Mosis, historia, rationibusque probavi. Quæ vero a Dn. Abate adduntur rationes sensus universalissimi, leves sunt. Quod enim ad primam rationem attinet, ex *i. Cor. VI. 16.* intelligitur, etiam qui agglutinatur scoto, esse unam carnem & unum corpus. Et quamvis id non de jure sed de facto intelligendum sit, patet tamen inde, stylo Sacrae Scripturae *unam carnem fieri,* non idem esse, ac *indivisibilem fieri.* Eademque plane ratione, qua Dn. Abbas ait, Paulum ita loqui ad eo magis emphaticè detestandum abulum; pariter de verbis institutionis divinæ a Christo repetitis dici potest, Deum ita locutum fuisse ad eo magis emphaticè commendandum amorem conjugalem, non ad improbanda omnia divorcia, quæ legitimis gravibusq; ex causis fiunt, cum alias, ut jam monitus est, Christus non potuisse fornicationem pro iusta divorciis causa habere. Denique etiam concederemus secundariam æque ac primariam conjugem per institutionem factam fuisse inseparabilem, inde tamen non sequitur, libellum repudiitam primariæ quam secundariae dandum fuisse; quia utique esse debebat aliqua differentia inter concubinam & justam

uxorem, & cum non obstante institutione primæva Jure Mosaico divortia ob leviora in justo conjugio permittebantur, sub solennitate solum libelli repudii, multo magis ejusmodi divortia sine hac solennitate in concubinatu licita fuerunt. Quæ vero in Disp. Dn. Abbat. d. l. sequuntur verba: *Quando nimis umbras femininas non dignatur &c.* per incongruam petitionem principii supponunt id, de quo queritur. Utique enim semper affirmabimus, etiam illum legitime fieri posse carnem unam, qui sociam non declarat uxorem suam coram Ecclesia ritibus solennibus; Negamus etiam institutione divina omnem aliam conjugalem societatem præter justum matrimonium, prohiberi. *Secunda ratio*, qua Dn. Abbas demonstrare vult, etiam libellum repudii concubinis dandum fuisse, ex Deut. XXIV, 1 - 4. defuncta est. Ergo vero Responsionem ex eo ipso loco Deut. XXIV, 1. seqq. defenso, ex quo apertissime patet, libellum repudii solum in justo conjugio primario requisitum fuisse. His addenda sunt rationes aliae ex historia lectorum de isto loco disputantium supra deductæ. Sed fac, publicum documentum missionis cessasse apud concubinas, ut nobis opponit D. Abbas; hoc nihil ad rem facit. Ipsi enim concedimus, concubinas deterioris conditionis fuisse iustis uxoribus; & cum ut plurimum ancillæ essent, non opus erat libello repudii, cum etiam post missionem tamen subiectæ manebant domino, nec eis licitum erat, sine illius consensu alio divertere, ut adeo ratio libelli repudii a Dn. Abate adducta plane ad concubinatum non quadret.

Cum igitur tota Christi disputatio de conjugio justo, non de concubinatu intelligenda sit, absurdum quoque erit, institutionem primævam eo trahere. (1.) Quia Christus hic considerandus ut disputans, qui verba primævæ institutionis non generatim de omnibus conjunctionis conjugalis speciebus interpretatur, sed ad questionem hanc propositam applicat, quæ, ut diximus, non de Concubinatu, sed de justo matrimonio agebat. (2.) & ne quidem ut Lex aliqua de divortio prohibito, sed ut adhortatio ad amorem ardentissimum conjugalem, considerari potest, ista institutio; quod verba ipsa aperte monstrant; neque etiam Christus iis aliter utitur, ut jam supra evicimus. Nam quia (3.) Christus ipse ob fornicationem justum matrimonium solubile esse dixit, multo magis dimisibilitatem concubinatus admittit. His adde (4.) quod verba Adami solum ad Ewam, quæ justa conjux non concubina fuit, directa fuerint, adeoque nec ultra sensum naturalem torquerivel extendi possint.

Concubinas Patriarcharum & Israelitarum individuas fuisse, assertur quidem §. IV, sed non probatur. Falsissimam vero esse hanc assertionem, resiliunt & mendaciosos totaliter refutato augustinus & dñs alio super exemplum.

exemplis conficitur. Hagarem sane Abrahamus ex levi causa domo ejecit, idque fecit Dei iussu, v. Genes. XXI, 10. tantum abest, ut idcirco possit reprehendi.

§ VIII.

Tertium argumentum, quod S. V. contra concubinatum profert Dn. *Ad Arg. III.*
Abbas, omnium, quæ haec tenus recensuimus, quæq; opponi poterunt, levissimum est. Oblitus erat Vir Reverendissimus definitionis, quam de affectu maritali tradidit Dn. Thomasius, qui sane cum amore conjugali minime confundi debet. Hunc enim amorem, quis unquam a Concubinatu exclusit? Quis unquam negavit, concubinam etiam præ patre & matre amari posse? Saltem id volumus, affectum maritalem, qui in communicatione honorum & effectuum Juris Civilis consistit, in Concubinatu deesse. Quis vero Apostolus conjugium, quod effectibus civilibus caret, illicitum pronunciavit? Inutilia ergo sunt omnia, quæ Dn. Abbas ex Ephes. V, 21. 33. monere voluit.

Neque etiam video, qua ratione Emphasis quam urget Dn. Abbas de propriis suis uxoribus, contra concubinatum trahi poscit. Quilibet homo præjudiciis liber hanc emphasis' potius contra adulterium & contra communionem uxorum interpretetur, quæ sane in concubinatu non comprehenduntur. Annon enim concubina etiam propria uxor est? Annon ideo ducitur, ut ne cum aliena uxore vel foemina adulterium vel scortatio committatur? Tantum abest ergo, hanc Emphasis contra concubinatum pugnare, ut potius ex ea concubinatus defendi possit.

Ceterum non possum non insignem hic Dn. Abbatis terminorum variationem notare. In praecedentibus enim §§. cum de concubinatu sermo esset, ille semper nomine matrimonii secundarii, concubina nomine uxorum secundiarum venerunt. Nunc, cum Dn. Abbas in alio argomento verferetur, subito ex conjugie secundaria fit scorum, proferantur; omnia S. Scripturæ loca contra scortationes; cum meminisse debuerit Dn. Abbas, insignem differentiam esse inter conjugem secundariam & scortum. Miror sane, Dn. Abbatem pro sua, qua ubiq; celebris est, pietate, in §. præc. defendere potuisse: Scorto, ut hic jam concubinas appellat, debuisse dari libellum repudii; conjunctiones cum scortis ex institutione divina debere esse indissolubiles &c. Videt ergo Dn. Abbas suo exemplo, quantum fugienda sint omni bono disputatori sophismata, quamque necesse sit, cum disputamus, ut rem absque præjudicatis opinionibus nominibusque tractemus. Ego sane, odiosum istud nomen non curans, sed, de eo, quod res est, cogitans, ad dictum illud, quod Dn. Abbas opponit, *Quæ fuerant Christi membræ, an manebunt ita, si fierent membræ scorti?* respondeo: Non

manebunt ceteris paribus talia, si fiunt membra scorti; manebunt vero ceteris paribus omnino talia, etiamsi fiunt membra conjugis secundariæ; eo plane modo, ac manent, cum fiunt membra uxoris primariae. Id enim semper tenendum est, concubinatum verum conjugium esse, etiamsi sit effectibus Civilibus destitutum, & in accidentalibus aliquantum a primo conjugio diversum, dignitateque inferius.

§. IX.

Ad Arg. IV. Ultimum argumentum, quod §. VI. propositum, fluit ex falsis principiis de iniustitia & impietate concubinatus, haec tenus a nobis satis superque confutatis. Oppido enim fallitur Dn. Abbas, si putat Concubinatum a Moysi demum propter duritatem cordis fuisse permisum. Delibello repudii, justis dari solito uxoribus, id affirmat Christus, quo videlicet maximus abusus commitebatur, & fere omne discriminem inter uxores justas & ancillas sive concubinas tollebatur. Nullibi vero concubinatum legitimus a duritate cordis ortum trahere, vel a temporibus Mosis. Sane Patriarchæ, viri omnium confessione sanctissimi, omnes habebant concubinas, & quidem simul cum justis uxoribus; nec tamen credo, duros corde, vel divina destitutos gratia fuisse. Nec etiam magis erant sublege, quam Christiani. Quis vero de illis dixerit, Spiritui S. perrinaciter restitisse? ut adeo plane ad florculos conaciones, ad exclamationes, ad suspiria pertineant verba, quæ supra retulimus: *Vetera prætierierunt, ecce nova facta sunt omnia!* Ergone omnes umbras, omnes quoque dispensationes Levitica prætierierunt? Solus autem Concubinatus &c. quæ omnia bonum disputatorem non decent. Videmus sane concubinatum in cordibus Sanctorum Patriarcharum cum gratia divina simus locum habuisse. Oportet igitur, intemplicivo zelo appellari *fudissimum*. Deus O.M. qui est ignis consumens Sanctitatis, atque ens purissimum ejusmodi foeditatem, si qua fuisset, an portuisset tolerare? Valde vereor, ne dum perverlo zelo pietatis res indifferentes impugnantur, injurii fiant hi Doctores in sanctitatem divinam; quod sane si a Dn. Thomasio forte præter intentionem factum fuisset, quælibet, quot exclamationes, quot suspiria, aliquidque ad affectus excitandos pie fraudes non adhiberentur?

§. X.

Ad §. 7. qui est ultimus. Quæ in fine ad excusandos *santissimos & beatissimos* Patres, Ambrosium, Hieronymum & Augustinum, hos angelorum, ut Dn. Abbas loquitur, confortes, coram throno Dei, & primarias cali Ecclesiastici stellas, imo soles, afferuntur, ea me non valde angent. Per me sane licet, sidera hæc coeli ecclesiastici contra concubinatum vel pro eo sentire. Veritas enim ex autoritatibus ejusmodi sanctorum neque detrimentum capit, neque fulcitur

tur ullo modo. Hoc unicum moneo: Cum ex hac tenus dictis, & omnium optime ex ipso Dn. Thomasi schediatis late clarissime elucescat, neque ante Legem Mosaicam, neq; sub illa, neq; tempore Christi & Apostolorum concubinatum pro re illicita habitum fuisse; contra vero in scriptis sanctissimorum Patrum, Ambrosii, Hieronymi & Augustini, prima vestigia reperiantur, quibus in concubinatum declamatum fuit; an quo se injuria fit istis hominibus? An major injuria habenda est, sanctos hosce leculorum obscurorum Patres erroris incusare, quam sanctissimos Patriarchas, totque Reges sanctos sub Lege Mosaica, ob concubinatum usurpatum pertinaciter in Spiritum sanctum reos facere? Dicamus, quod res est. Sanctissimi Patres Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, & ceteri, sunt stellæ caeli Ecclesiastici, (v. Disput. Dn. Breithaupti p. 15. lit. a.) imo sunt soles ipsi, (ibid p. 13.) Non est igitur mirum, eorum dicta etiam absurdissima, pro Articulis Fidei haberet (ibid. p. 17. lit. c.) ac pro radis solis Justitiae (ibid.) abillis, qui sub coelo illo Ecclesiastico, stricte dicto, vitam agunt; contra vero omnes, qui sub coelo (dicam an orco & inferno) Politico & Philosophico & Christiano vivunt, adeo obsecratos esse, ut radis eorum illuminari non possint, sed Rationis sana lumen, a Deo O. M. ipsis inditum, obnebulatis solidibus (v. Disput. Dn. Breith. §. VII. p. 13.) semper præferant.

§. XI.

Nihil igitur impedit, quo minus alterum jam audiamus Adversarium, Ce-*Summa dis-*
leberrimum Dn. JÆGERUM, Cancellarium Tubingenem, qui in *Exam-**sationis Ja-*
ne, quod vocat, *dissertationis cuiusdam Hallensis*, *scrutaturus moralitatem geriana*, *con-*
cubinatus ad principia, tum sanæ rationis, tum sacre scripture, exigere tra- *Concubi-*
principias ejus essentialesque qualitates, easque ejusmodi esse demonstra-
re conatus est, que intrinsece malam moralitatem importent, ut inde ad
oculum cuivis pateret talem concubinatum in se & sua natura iuri divino
adversari eoque malum esse, nec unquam fuisse in foro divino licitum, sed
inde a primis humani generis initiosis ad hæc usque tempora semper prohibi-
tum. Bipartitum ergo examen, alterum secundum Jus Naturæ, & secun-
dum S. Scripturam alterum.

1. Ex *Jure Naturæ* quidem primo §. IV p. 3. uno istu rem confidere credit, dum generatim dixit: *Legem Naturæ non permittere sed gravissime potius prohibere omnem eam conjunctionem maris cum feminâ, que non insitata sit ad regulas legitimi matrimonii, quod quippe unum ad propagacionem generis humani ita ordinatum sit a Deo, ut præter illud alia quæpiam societas nupcialis admitti sine viro non possit.* Sed cum ipsem et Reverendissimus Dn. Autor statim sentiat, petitionem hanc esse principi, ut vocant, inde

C 3 pag.

pag. seq. demum pro firmitate hujus assertionis ad alia argumenta progradientur, id acturus, ut rationibus firmis atque validis evincat, vi legis naturalis omne legitimum matrimonium debere esse perpetuum, conjunctum cum affectione maritali, & intendens primario sobolis procreationem.

Primo ergo probaturus, omne matrimonium Jure Nat. debere esse perpetuum, haec argumenta affert: 1) §. V. Finem matrimonii non solum esse procreationem sobolis, sed & educationem, & utramque quidem honestam & decoram. Atque vero per concubinatum procreationem sobolis educationemque honestam impediri. 2) §. VI. Legem Naturae conservationem familiarum civitatumque in suo decore atque incolumente præcipere; Concubinatum vero, eo quod divortia pro libitu frequentandi licentiam concedat, familias & civitatum decorem publicum tantum non penitus evertere. 3) §. VII. dimissionis licentiā magnam fieri injuriam, tam universo sexu famino, quam singulis uxoribus, a viris suis ita pro libitu dimissis. 4) §. VIII. Testari multos doctissimos viros; quanquam etiam viri itidem gravissimi in contraria sint sententia.

Secundo demonstraturus §. IX. ex dictamine Legis Naturalis omne matrimonium debere itidem conjunctam sibi habere affectionem maritalem his usitum rationibus: 1) §. X. affectionem maritalem nihil aliud esse quam amorem conjugalem, atque generale officium omnis mariti erga uxorem suam poscere, ut singulari quoddam amore istam complectatur; Concubinatum vero, quem defendat Dn. Thomasius, ita comparatum esse, ut necessario amorem conjugalem maritalemque excludat. Cum enim in tali Concubinatu degens vir pro suo libitu uxorem ductam dimittat, locum habere non posse amorem maritalem. 2) §. XI. ad stipulari Huberum & Zigerum.

Tertium erat, ex Jur. Nat. ostendere, quod omne matrimonium primario intendere debeat sobolis procreationem; idq; Dn. Autor sequentibus evincere conatur momentis: „ 1) §. XII. primarium finem esse matrimonii, procreationem sobolis; finem vero Concubinatus esse vitationem scortationis, quem pro tertio saltē sine matrimonio habeat Bœclerus; hanc vero permutationem si nium Juri Naturae adversam esse. Imo 2) §. XIII. ne quidem evitationem scortationis finem esse posse concubinatus, sed licentiam dimittendæ uxoris potius vagæ libidini frena laxare. 3) §. XIV. non obstat usum gentium, a) qui probationes a moribus gentium desumptas rideat ipse Dn. Thomasius. b) quia nullibi legatur, concubinarum apud ullam gentem adprobatum, et si historici usu fuisse tradant. y) quia ut plurimum concubinatus antiquioribus populis fuerit alio sensu acceptus, ac usitatus, scilicet ut verum ac ratum matrimonium, quod maritali affectione, sobolis procreandæ causa in perpetuum cum una contrahebatur, et effectibus quibusdam civilibus privaretur.“ II.

II. Ad sacras literas dum §. XV. exigere constituit Concubinatum Reverendissimus Dn. Adversarius, urget 1) §. XVI. Institutionem divinam Genes. II, 23-25. & quod illa vim Legis habeat pariterque §. XVII. quod illa omnes aliae coniunctiones præter matrimonium improbentur, & nil nisi scortationes dicende sint. 2) §. XVIII. locum Matth. XIX, 3, seqq. 3) §. XIX. alium locum i. Cor. VIII, 10. 4) Ad exempla vero Concubinatu in sacris literis obvia, respondet. "§. XX. Impium Lamechum primum fuisse concubinariū, cuius exemplo successu temporis ipsi quoque filii Dei seducti, negleclis matrimoniois legitimis per concubinatus genus suum propagaverint, qua causa fuerit diluvii. Post diluvium ante Legem Mosaicam non quidem dispensatum fuisse a Deo, sed toleratum, in Patriarchis eo quod ii fuerint in fide, neque ex intentione mala concubinatum frequentaverint, sed ex ardentissimo portus desiderio accelerandi adventum Messias, quem ex suo semine nasciturum ex promissione novissent. §. XXI. Post Legem Mosicam non amplius apud Iudeos in usu fuisse legi concubinatum. Sextum præceptum implicite damnum omnem coniunctionem præter matrimonium §. XXII. Displi cuius de concubinatum Davidis in eius pnam Concubinæ ejus ab Absalom, conjecto Davide in exilium, per vim, idque sub patente celo, impie stuprare fuerint. 2 Sam. XVI, 22. §. XXIII. Post Christiano, quicquid sit de Pontifice Romano & de exemplis concubinatum tum temporis obviorum, quorum plerique legitima fuerint arque individua matrimonia; neque deesse tum temporis testimonia agitur turpitudinis. §. XXIV. Confessio secum recentiores Theologos & Ctos omnes.

§. XI.

Sed facillimum erit, omnes has ratiunculas, magno studio undiquaque *Respond. pri-
mo generis* confutare.

Ad generale argumentum §. IV. ex Jure Naturæ propositum, puto Dn. tim. Adversarium non desiderare responsum, cum ipse met fateatur, id illum supposuisse, quod erat in questione. Salte in id notare ad hunc §. licet, falsissime citari Domini Thomasi Instit. Jurispr. Divinæ, tanquam cum thesi Dn. Adversarii facientes, quod ex ipsa inspectione loci cuivis patet. Solemne vero est in tota hac disputatione allegare scripta Thomistica, ubi ne verbum quidem ad rei probationem habent; quæ an impudenteria sit, an virtus orthodoxis propria mihi incognita, vel alia pia fraus, id quidem in medio relinquo.

Antequam vero ad sequentia singillatim respondeam, opus est, cum Dn. Adversarius omne robur opinionis suæ in eponat, quod Concubinatus e diametro sit oppositus legitimo matrimonio, ut generatum prius non aliquod in actione corrumperetur, legimus eam in eammodo, etiam si quæc super A. contraria in rebus suis quam tunc habent, non sunt in modo

quædam de vera indole fineque concubinatus, quem defendimus præmonitam. Omnino scilicet vindicanda est definitio matrimonii Grotiana, de J.B. & P.II.5.8.2. quod nempe sit talis cobabitatio maris cum fœmina, quæ fœminam quasi constitutat sub oculis & custodia maris, cum accessione fidei, qua se fœmina mari obstringit. Nihil hic de accidentalibus, quæ adesse possunt vel abesse salva natura matrimonii, differitur. Et ita optime juxta regulas bona definitionis. Quotquot enim hanc definitionem reiciunt, vel Cleri Pontifici hypothese fundamenti loco supponunt, vel Jus Naturæ ignorant. Atque merito videndus est Huberus, Grotium taxans his verbis, de Jure Civit. Lib. II. Sect. I. Cap. III. n. 2. p. 378. *Nescio, quid fibi velit à me, hoc commentum definitionis, nisi concubinatum, polygamiam & divortium ejus complexu protegere, & velamento juris salfem naturalis inducere tenter.* Ita namque est, mi Hubere, concubinatus, polygamia & divortia hac definitione proteguntur, & recdissime quidem, cum nihil horum juri aduersetur naturali, neque fini matrimonii. Abstrahendo enim a Lege positiva omnes societas naturales, omnibus gentibus communes, finibus differunt, adeoque fines cuiusque societatis particularis iis formant & essentiam. Omnes vero in eo convenient, esse diversos matrimonii fines, procreationem scilicet sobolis, mutuum adjutorium, evitatem scortationis, &c. Sunt qui mutuum adjutorium non sine ratione primarium constituant finem, eique postponant sobolis procreationem. At ne videamur hanc sententiam ideo adoptare, ut casui praesenti accommedemus, maneat procreatione sobolis finis matrimonii principalis. Ex hoc du o consequuntur, (1.) ad societatis conjugalis essentiam nihil amplius requiri, quam utriusque sexus conjunctionem, conjunctam cum vita consuetudine ad obtinendum hunc finem directa. Cetera pro accidentalibus habentur, quorum mentionem Grotius optimo iure non fecit. (2.) Sequitur, matrimonii speciem illam, quæ primario intendit procreationem sobolis, tanquam finem primarium, dignorem quidem esse ceteris; minime vero, conjunctiones conjugales alias, quæ procreationem sobolis non excludant, mutuum vero adjutorium & evitatem scortationis primario expetunt, illicias esse. Ita enim sequeretur, mutuum adjutorium & evitatem scortationis in se mala esse. Sicuti vero hoc absurdissimum foret dicere, ita pari ratione lociates ob hosce fines secundarios inita pro malis non possunt absque absurditate haber. Et quemadmodum nullum Juris Nat. preceptum præse obligat omnes indistincte homines ad procreationem sobolis actu suscipiendam; (alias enim coelibatus esset contra Jus Naturæ) ita nec damnat societas conjugales, procreationem sobolis non quidem impedientes, sed minus tamen principaliter intendententes. Atque hæc

hæc maxime est ratio permitti licetique Jure Nat. Concubinatus; hæc ratio est, cur secundarium matrimonium audiat, quod scilicet non intendat primarium matrimonii finem, qui est procreatio sobolis, sed secundarios fines, mutuum adjutorium, vel evitatem scortationis, non excluso tamen omnino priori; hæc porro ratio est, quod dignius habeatur matrimonium primarium, secundario, quod nec Grotius, nec Dn. Thomasius unquam negarunt. Stolidissimum vero est, inde concludere, omnes matrimonii species minus perfectas vel minus principales Juri Naturali adversari. Sane qui negant dari gradus diversos honestatis & decori naturalis, ineptissimi sunt Doctores moralis doctrinæ, cum eo ipso ignorantiam naturæ humanae prodant, & fingant faltem moralitatem aliquam, sed quæ inter homines locum habere non potest.

Quenadmodum vero omnia ad finem rei absolute non necessaria pro accidentalibus habentur, ita parratio est *perpetuitatis & insolubilitatis* in matrimonio. Nemo unquam dixerit, ad procreationem sobolis absolute requiri has conditions. Alias enim omnia conjugia, quæ morte alterius conjugis solvuntur, illicita forent, nec unquam divertia juribus civilibus permitti possent. Multo minus ergo concubinatus, qui non primo ad sobolis procreationem initur, ideo pro malo habendus erit, quod sic solubilis. At, inquis, solubilitas impedit decoram educationem. Ego vero iterum regero: Quid si morte alterius conjugis dissolvatur matrimonium? An ideo conjugium ipsum illicitum? Atqui par est ratio Concubinatus. Non inficiatur Dn. Thomasius, matrimonium ad dies vitæ maxime aptum esse ad promovandam decoram & honestam educationem sobolis. Interim exinde non sequitur, matrimonium solubile ad educationem honestam plane ineptum esse. Dantur enim exempla concubinatu ad dies vitæ continuatorum. Sed fac dissolviante mortem, dissolvi post aliquot annos, dissolvi post partum. An necesse est ad educationem, ut mater illam gerat? Ita plurimæ educationes illustrium personarum malæ forent, eorumque matrimonia ob id illicita; quod sane absolum. Quid, quod in quovis justo matrimonio accidere potest, ut post partum statim morte matris dissolvatur. Fac novercam superinduci, cui proles educanda committatur; quid dicas de noverca, iusta uxore? Eadem sane ubique ratio est. Imo legimus, Antoninum Imperatorem eam ipsam ob causam uxore mortua, concubinam, non justam uxorem secunda vice ducere voluisse, ne liberis suis superinduceret novercam. Ut adeo pateat ex hac te-

nus dictis, educationem honestam & decoram utique etiam in matrimonio solubilio obtineri posse.

Sed oppones forte, fingi a nobis concubinatum, non ut ullus unquam talis fuerit vel potuerit esse. Dn. Adversarius enim nihil nisi libidinosum de eo presumit. Igitur opus est, ut & rationibus & exemplis honestos concubinatus fines demonstremus, ut omnes praeconcepta praejudicata & opiniones in hac materia tollantur. Ac primo quidem concubinas Patriarcharum, dimissibiles sane, ut exemplum Hagar&x ostendit, inferioresq; longe dignitate uxoribus; concubinas porro Davidis aliorumq; Sanctorum Vet. Testamenti, iisdem conditionibus habitas, an ulla re ab haecenus recensitus qualitatibus discrepasse credas; an homines illos adeo libidinosos fuisse putas, qui concubinatu ad palliandam libidinem saltem usu fuerint. Ni quis forte alios ex tuo metiris ingenio. Ostendam verbis Dn. Thomasi *dissert. de Concub. p. 51.* causas honestissimas concubinatum. v. g. In *Juvenibus*, si non habeant donum continentiae, & non possint tamen ob deficientia media sustentanda uxoris juste talem, quae statu eorum aequalis sit, invenire, duendo autem vilioris conditionis feminam (in uxorem iustam) vel statu sui dignitatem profligant, vel etiam spem omnem futurae promotionis sibi precludant. Et hujus generis exempla in Lusitania, Hispania, quid quod fere in omnibus regnis, praeter Germaniam, (ubi scilicet matrimonia ad morganaticam eorum loco introducta) solennissima sunt atque frequentissima. Videas enim secundo vel tertio genitos (les Cadets) ad conservandum splendorem familie raro uxores justas sibi sociare, ne patrimonium avitum inter tot liberos ex justis matrimonii natos dividendum, discerpatur ac in nihilum tandem redigatur, sed post suam mortem partes omnes ad primogenitum velejus filios recidant. Quam in rem legi possunt *Les Voyages d'Espagne de Mad. d'Aunoy*, Tome III. Ea etiam ratio in ipsis familiae regis observatur, ne scilicet multitudine liberorum legitimorum armarium regium nimis gravetur, vel alia incommoda eveniant. In Viduis eadem ferre rationes adesse possunt, ne scilicet, quæ verba sunt illustris Dn. Thomas d. l. ducento secundam & terciam conjugem & multiplicatione liberorum legitimorum conditionem liberorum primi matrimonii miseram reddant. Ita Capitolinus de Antonino Imperatore, Enisa est, inquit, *Fabia ut Faustina mortua in ejus matrimonium coiret, sed ille concubinam sibi adscivit, procuratoris uxoris sue filiam, nec tot liberis superducet novercam.* En honestum concubinatus finem, minime voluntatis aut

aut libidinis extinctionem, sibi generationi oppositam. Imo possunt casus adesse, quibus honestior est concubinatus, quam ipsum matrimonium, ut quidem modo de Imperatore Antonino vidimus. Cum etiam concubinæ communiter sint inferioris dignitatis atque conditionis inæqualis, oportet sane ut honestate probitateque morum maxime se commendent. Quis enim scortum sibi associabit, nisi infanus? Ego quidem omnino certus sum plurimas concubinas veterum Patriarcharum, Israëlitarum, Romanorum & Græcorum, imo nostris temporibus nobilium & illustrium personarum in Lulitania, Hispania, Dania &c. honestiores fuisse multis justis uxoribus. Non nego, sèpissime quoque omnem virutem concubinæ in externa corporis forma consistere; Sed annon plerumque etiam in matrimonii hodiernis Christianorum forma & opes, minime honestas morum consideratur? An ob hunc abusum damnandum omne matrimonium? Quid, quod & dimisibilitas absque solennitate nulla, quæ concubinatu propria est, honestior sèpissime atque magis decora est, quam insolubilitas matrimonii. Hæc enim tot scandalis publicis occasionem præbet, illa sine omni scandalo sit. Nec enim juxta principia honesti vel decori nisi gravem causam talemque, quæ deceat virum honestum, in dimissione concubinæ admittimus, cum omnino etiam in concubinatu, sicut in omni alia societate, regulæ honesti ac decori sunt observandas.

Quomodo vero his omnibus, quæ jam a Dn. Thomasio monita sunt, non obstantibus, Dn. Adversarius probare posuit, *Concubinatum esse non men voluptatis, non honestatis*, id quidem facile video. Omnes enim abusus, etiamsi saltem ingenio excogitos, & vel nunquam in praxi dables, in medium produceret, ut quidem hujus methodi jam in disputatione sua multa specimen exhibuit. Ast vero, hac ratione nobiscum non pugnat. Nec enim nobis imputandum, concubinatum defendantibus, ac si omnes abusus, qui committi in concubinatu solent vel possent, simul defendemus, plane utile, qui matrimonium laudat, non censendus est propterea omnes abusus & vitia, in matrimonio sane magno numero frequentia, approbare. Non negat Dn. Thomasius sed expressis potius verbis ultro concedit p. 51. *Sæpe palliari libidinem sub titulo concubinatus.* Sed propter abusum tamen non statim tollitur ulus. Palliatur sæpe libido sub specie matrimonii. Sed audi, quid respondeat Augustinus, foliile coeli Ecclesiastici: *Quicquid inter se conjugati immodeustum, inverecundum, fordidum gerunt, vitium est hominum, non culpa nuptiarum.* Si Dn. Adversarius

farius hoc Augustini monitum securus fuisset, nullum est dubium, quin plane aliter ubique de concubinatu sentiasset. Nimis enim brutalem fingit concubinatum, quo quis per divorciorum licentiam modo hanc modo illam in torum adsciscit & pro libitu suo inde ejicit, ut ita pluribus promiscue ductis uxoribus, corpus suum prostituat, perinde ac id cernere licet in brutis animalibus. Hic sane ambabus manibus largimur, neque procreationem sobolis, neque educationem honestam vel decoram obtineri, neque splendorem familiarum conservari. Porro si omnis amor conjugalis & rationalis a Concubinatu exulare dicitur §. X. Solusque amor libidinosus ei affingitur, qui propter solum concubendi actum & expletandam libidinem in mulierem non legitime junciam feratur, vel ubi nihil intendatur sere alind, quam quidem voluntatis communicatio per libidinem multiplicata exercitia; qui, quæso, ejusmodi concubinatum vel potius libidinem palliatam defendet? An credit Dn. Adversarius, Dn. Thomafium, de cuius perspicacia acumineque ingenii certus est, tot absurdia posse unquam admittere, nedum defendere? Alia sane loquuntur hujus egregii viri incomparabilia scripta, quibus amorem rationalem ut summum hominis bonum commendat; alia ejus integerrima vitae ratio; alia ipsum schismata de Concubinatu, ut verba paulo ante producta testantur. Quid igitur ad hæc dicemus? quid, quæso, de vobis, Orthodoxorum antesignanis, cogitent homines rationales, nisi quod calumniari, alienamque mentem affingere, & disputare e vobis unum sit idemque. Hoc certe modo facilissimum, fuit omnibus paginis citare scripta Thomasiana, ut adversæ de Concubinatu doctrinæ faventia; cum falsissime supponat Dn. Adversarius, (bona an mala fide?) omnes abusus, qui sub Concubinatus prætextu committi possent, defendere, quos abusus tamen Dn. Thomasius in aliis scriptis tot locis atque verbis detestatur. Obsecro, mi Cancellarie, an hoc moralitat, quam ubique crepas, convenit? Quid dices, si quis contra te, vel alios orthodoxos, matrimonium, (ut quidem omnino par est,) laudantes pari malitia & calumnia disputaret: ac si defenderes vel laudares societatem, quæ primario quidem intendat procreationem sobolis, sub qua tamen lateat libidinis expletio; ubi thorax conjugalis libidinibus, adulteriisque contaminetur; ubi quotidie rixæ, odia, verbera, quid quod beneficia & cædes cernantur; ubi liberi pessime educentur; & ejus generis alia, quorum exempla passim ubique sunt obvia. Si, inquam, aliquis contra matrimonium disputans, nihil consideraret nisi hos abusus, non omnes detestarentur, & justissime quidem, ejus impietatem, & ini-

pu-

dentiam? At vos, homines zelo pseudorthoxiae & infallibilitatis inebriati, omnia vobis crimina permissa creditis, ad destruendam opinionem a praejudiciis doctrinarum vestrum alienam, ut in se verissimam & innocentissimam.

§. XIII.

Sufficere haec possent pro omni response. Sed ut omnis cavillatio praecidatur, singula nunc argumenta Dn. Adversarii consideremus,

*Respondetur
Singillatim
ad §. V.*

Quod igitur ad §. V. attinet, negamus omnino in concubinatu procreationem sibi educationemque honestam impediri. Nec enim magis eo impeditur, quam in matrimonio morte prematura uxoris, quæ quandoque liberis est utilis, cum matres plerumque nimis connivendo male educent, liberos. Procreationem vero non impedire concubinatum illum, quem nos defendimus, supra evictum dedimus; ut etiam, quæ contra distinctionem inter magis & minus decorum ac honestum, itemque quæ contra definitionem matrimonii Grotianam h. §. adducuntur, jam explosimus.

Per concubinatum porro, quem nos defendimus, decor & splendor familiarium magis certo modo conservatur, ac per matrimonium. Eaq; ratio est, cur hodienum apud Christianas gentes illustribus & nobilibus familias preferatur matrimonio. Nec id negat Dn. Adversarius, nisi abusus potius quam veram indolem considerare voluisse. Adde, quod haec consideratione utique magis ad Leges Civiles pertineat, quibus competit de interesse civitatis & decore familiarium speciatim disponere, quod Jus Naturale non nisi generatim facit.

Neque dimissionis licentia in concubinatu ulla omnino sit sexui fœminino vel concubinis injurya. Supra enim jam monui, concubinas fœminas per inæqualis conditionis esse, vel ancillas & non cives apud Romanos, vel ignobiles hodie. Quæ vero est injuria, fœminis inferioris dignitatis majorem non velle communicare? An jus habent id postulandi? Ridiculum est, quod assert Dn. Cancellarius, sexum fœminum dimissionis licentia pro tam vili haberet, ut perinde ac res in commercium venientes abalienari posset pro lubitu possessoris ac domini. Sed cum ipsi, tanquam Theologo, differentia inter alienationem rei, quæ est in commercio & dimissionem seu repudium uxoris non satis nota fuerit, condonabimus istum errorem. Ceterum de universo sexu fœminino quis licentiam dimissionis afferet? Personæ dignioris conditionis, & æqualis status nunquam concubinæ erunt, adeoque de iis nunquam dicimus, posse pro luitu dimitti. Fœminæ vero vilioris conditionis nulla per dimissionem

con-

contumelia afficiuntur, si ut concubine associari se passæ fuerunt; quia dimissio ea iure moribusque nota est, iis in locis, ubi frequentatur concubinatus. Adde, quod volenti non fiat injuria. Nec, quod Dominus Adversarius opponit, verum est, *injuriam esse*, *hanc virum posuisse conditio-*
nem, eamque, quod acceptaverit fœmina, id necesse habuisse facere ex communi-
ni hac introductory confuetudine. Quæ enim necessitas fœminam ad con-
cubinatum ineundum cogit? Si abhorret a matrimonio inæquali sive
concubinatu, quidni suæ conditionis & æqualis status viro se associat?

Ad §. VIII. Cum Dn. Adversarius ipsem §. VII. Autoritates autoritatibus oppo-
 nat, ea nos molestia levat, parum etiam alias de autoritatibus sollicitos.

Ad §. X.

Quæ vero §. X. de amore conjugali edixerit, haud sane necessaria fuisse-
 sent, cum (1) nusquam dixerat Dn. Thomasius amorem illum generalem,
 a viro cuivis uxori debitum, a concubinatu exulare. Potius ego asserere au-
 sim, amorem hunc semper in concubinatu in majori gradu deprehendi,
 quam in justo matrimonio; cum alias, si ille decesset, statim dissolveretur, id-
 que fieret minori scandalo, quam si socij in thoro conjugali, alter alterum
 sepe maximo odio prosequens, tamen una vivere coguntur. Hac enim
 coactio amorem conjugalem valde minuit, cum dimissionis permisso cum
 augeat, vel saltē vinculi duratio certissimum semper sit indicium mutui
 maximi amoris, quod de vinculo justi matrimonii ut plurimum fallit. (2.)
 Dn. Thomasius, cum affectum maritalem abesse dixit, intellexit communica-
 tionem dignitatis, qua maritus possit; significauit sane JCris veteribus per-
 quam solenni, quod ignorasse Dn. Adversarium, tanquam Theologum,
 atque Dn. Thomasio violationem præcepti Juris Naturalis objecisse, venia
 potius quam censura dignus est. (3.) dimissionis, licentia amorem conjugale tolli, jam confutavimus. (4.) maritalis effectio, eo modo, quæ justæ
 uxori, concubina nullo jure debetur. Amor vero generalis inter conju-
 ges utique etiam adest, etiam societas *ad tempus tantum durer*; quem-
 admodum inter duos amicos, qui sciunt posse se aliquando disjungi, ve-
 ra sinceraque amicitia esse potest.

Ad §. XI.

Autoritates Huberi & Zigleri, quibus probatur, nullam nisi volupta-
 tit communicationem fieri in concubinatu, nec amari concubinam, nisi pro-
 pter solum concubandi actum, aut explendam libidinem, non curamus;
 rationesque nostras non solum supra iam dedimus, sed & Illustris Dn.
 Thomasius in notis ad Huberi locum, nobis oppositum, ita commenta-
 tus est: *Quod dicitur, vix ullam quam voluptatis communicationem in concu-*
bina-

binatus fieri, id de concubinatu Clericali forte nullum haberet dubium; at in-
eitu Concubinatus Hebreorum, Romanorum, imo & Germanorum, docent anti-
quitates historica & documenta varia, concubinatum a matrimonio ad morga-
naticam plane non differre nisi dissolubilitate & benedictione sacerdotali. E-
nimvero his opponit verbis Dn. Jægerus: *Cum tandem non nisi in Concubi-
natu Clericali hec voluptraris communicatio? Ego vero dicam, & verbis qui-
dem Dn. Thomasti in dissertat. de Concubin. §. 27. p. 52. dicam. Cum Ponti-
fices Clero suo matrimonio omni interdixissent, & tamen donum continentie ipse
concedere non possent, permittende erant libidines omnis generis nefande, &
deo etiam libidines sub specie concubinatus palliatae, ita ut clericus ille pro casto
haberetur & laudando, quia una saltē concubina contentus esset.* Ceterum
ob fornicationem solum permisum vel toleratum suis abusum, Leges pu-
blicæ d. l. adductæ loquuntur. Abrogato tandem seculi XVI. initio con-
cubinatu Clericali, non tamen abusus iste sublatius est, quod testantur exem-
pla omnibus, qui regiones Papicolas viserunt, nota. Quid vero aliud
clericos illos in concubinatu intendere putas, quam solam libidinis
communicationem, cum publice turpe inter eos habeatur, concubinas
alere, turpius liberos ex illis procreare; dumque omnes cause ad con-
cubinatum incundum alios homines moventes, qua prædicti regi
censuimus, hic deficient. *Omnia turpia, pergit Dn. Cancellarius,*
*non nisi Clero, præ aliis & barbaris gentibus impunare solet Dn. Thomasi-
us, odio potius conductus in Clerum quam rationibus solidis.* Ego vero
credo, nunquam rationes solidissimas deficerem, quotiescumque a Dn.
Thomasio turpia Clero Papali imputantur. Sed quid si concedamus,
odio in Clerum Papalem eo duci Dn. Thomasum. Id sane laudabile
esse Lutherus noster monuit, voto illo notissimo: *Dens vos impleat
odio Papa & Cleri Papalis;* ut mirum sit, Dn. Jægerum tamen partes
Cleri Papalis tueri. Deinde ait Dn. Adversarius: *producantur ista an-
tiquitates historica & monumenta varia, & alia hujus generis nos eis oppo-
nemus!* Producta sunt, puto, sat multa in dissertatione, contra quan-
pugnat Dn. Adversarius; si vel voluisse, vel potuisse, occasio sane
non defuit, alia hujus generis opponendi.

De sine concubinatus & matrimonii jam §. præced. que *Ad §. XII.*
necessaria sunt, dixi, que repetere supervacuum esset? Quod vero
locum ex Dn. Thomasi Inst. Jur. Dip. allatum pertinet, quo per-
mu-

mutatio finium Juri Naturæ aduersa esse dicitur , notandum (1) pes-
simè a Dn. Adversario omitti verba , ibi primo loco posita: *Quod intentionem primariam libidinis explenda attinet , &c.* Hæc enim intentio
a Concubinatu , quem nos defendimus , abest , adeoque non quadrat
iste locus ad præsentem casum . (2.) ipse Dn. Thomasius in *Fundament.*
Jur. Nat. & Gmt. Lib. III. Cap. II. n. 19. p. 177. monuit , totum discursum
de moralitate libidinis in Institut. Jurispr. Div. a §. 139. ad §. 172. plane esse
mutandum , quia tum temporis neque scortationis , neque concubina-
tus justas definitiones tradiderit . Adeoque speramus , eandem huma-
nitatem exhibitam in Dn. Thomasio , ac ea est , cum nos , contra Papicolas
disputantes , distinguimus inter Lutherum priorem & posterio-
rem . Hac cautela obseruata , admonitione Dn. Adversarii de moralitate
internarum actionum superflua est , cum ex posterioribus Dn. Thoma-
si curis discere potuisset , quomodo tota hæc quæstio ex distinctione
principiorum honesti & justi solide decidenda sit .

Ad §. XIII.

Quando vero Dn. Adversarius vult , evitationem scortatio-
nis plane non esse pro fine concubinatus habendam , id nos nullo
modo tangit , quippe qui nunquam abusus in concubinatu frequentes
excusare vel tueri voluimus ; quod ipsa verba Dn. Thomasi testantur ,
a Dn. Adversario citata quidem , sed nimis sophistice atque corrupte .
Non enim ibi dicitur : *conjunctionem conjugalem ad tempus initiam*
non mereri nomen conjugii ; sed expresse sermo est , *de conjunctione*
tantum ad tempus PROCREATÆ UNIUS SOBOLIS initia . Quæso , ubi fides tua , ubi pudor , mi Domine Jægere ?

Ad §. XIV.

Quis porro unquam , nisi sophista , affingat Dn. Thomasio ,
ac si exemplis concubinatum in dissertatione adductis probare voluerit ,
licentiam concubinatus de Jure Naturæ ? Si quis adeo stupidus sit ,
ut rationem adductorum exemplorum non capiat , verba saltem legat Dn.
Thomasi , ipso introitu dissertat. posita , ubi deprehenderet , non id eum agere
voluisse , ut exemplis moralitatem evincat , quam supponit , nec demum pro-
bandam sibi sumfit ; saltem id ostendere voluisse , concubinatum nec ad for-
nicationis , nec ad stupri , nec adulterii genera , olim tam apud Hebraos
quam apud Romanos pertinuisse &c. supra §. I. ubi integra verba adduxi .

Et

Et hæc exempla maxime necessaria fuerunt, non ad demonstrandam jure Naturam, licentiam, sed (1) ad formandum justum conceptum & definitionem concubinatus, ut ne scilicet ex ingenio saltet & inaniter, quod sere plurimus accedit, qui de Concubinatu blaterant, singatur definitio Concubinatus, nullibi gentium, nulloque seculo usitata. (2) ut historia tradatur hujus materiarum, priusquam origo ostendatur, confusione concubinatus cum scortatione & adulterio. Atque adeo inaniter putat Dn. Adversarius, nullibi legi concubinatum a gentibus approbatum, quamvis usitatum; & alium plane concubinatum ab eo, quem nos defendimus, gentibus istis solemnem fruere; cum hæc omnia data opera in dissertatione Thomasiana probata sint, cuius argumenta, dum examinare vult Dn. Adversarius, cur non profert? cur disimulat? Forte ne inepta responsione imbecillitatem prodat? Sed eam satis jam ostendit, dum de Jure Romano ex comparatione & autoritate Rulpsiana potius, quam ex Legibus, a Dn. Thomasio indicatis, disputat; atque dum Demosthenis locus de moribus Græcis acumen judicii, sui superat.

§. XIV.

Argumenta, quod attinet, Theologica contra Concubinatum, non firmiori, ut cetera, fundamento nituntur, maximam etiam partem jam supra est ea responsum.

Ita quæ ex Genef. II, 23. seqq. opponuntur, jam §. VII. confutata sunt, nihilque restat monendum, quam incongrue iterum allegari Dn. Thomasi Cantelas circa Præcogn. Jurispr. Ecclesiast. ac sicutum Dn. Adversario faciant, cum tamen apertissime contra eum pugnant, & in specie locum Genef. II, 23. tangant, ut mirari non satis possem hos impudentissimos mores disputandi.

Plane vero absconum esse, ex verbis institutionis divinæ Genef. II, 23. Ad §. XVII. seqq. velle demonstrare, omnes conjunctiones præter matrimonium justum prohiberi, nos etiam supra l. c. evicimus; nec video, qua ratione locus Apostoli ad Hebreos c. 13, 4. honorabile conjigium esto, inter omnes scortatores autem & adulteros judicabit Deus, &c. nobis opponatur; cum tamen omnes videant, negare nos ac pernegare, concubinatum sub scortatione comprehendendi. Hoc enim illud ipsum est, de quo disputamus. Nec sufficit dixisse, styllo Sacra Scriptura omniem cohabitationem extra legitimum a Deo institutum matrimonium, nomine scortationis venire. Probandum enim est, eum esse stylum Sacrae Scripturae, alias niemo tam facile creder. Rationem enim, quæ ex verbis Adami Genef. II, 23. deducitur, plane non concludere, quoties non reposuimus?

Ad §. XVIII.

Pariter jam supra l. c. demonstratum est, locum Matth. XIX, 3, seqq. non posse aliter quam de iusta uxore intelligi; cumque Dn. Adversarius in contrarium nihil præter verba ipsissima Dni. Abbatis Bergensis adducat, non opus est, ut actum agamus denuo. Ceterum miratur Dn. Cancellarius, *statui* *et Dn. Thomasio*, secundarias uxores dimitti potuisse pro libitu tempore dare legis *Mosaiæ de libello repudiis*, cum tamen evincere negreat, eas tum *Judaicæ in usu fuisse*. Sed mirari desinet, si verba Dn. Thomasiæ et qua lance ponderabit. Non enim negat, ullum omnino usum concubinatus fuisse tum temporis; Sed rariorem fuisse p. 15. lit. f. inde concludit verosimile fieri, quod pauca exempla referantur, aut si quæ referantur, videantur continere aliquid irregularitatis. Interim ipemet exempla adducit aliquot, inter quæ sane illud *Judicium XIX*, 2, satis clarum mili videtur. Quid mirum ergo, si Dn. Thomasius ex frequentia divertitorum in iustis matrimoniorum & quidem ex levissimis causis, concludit, pro libitu dimisibilis fuisse concubinas, quamquam earum rario quicquid auctoritate fuerit usus.

Ad §. XIX.

Locum, Cor. VII, 9, 10, 11, quem nobis §. XIX. objicit ex interpretatione Dn. Abbatis Bergensis, quam ipse Dn. Cancellarius in fine hujus §. sequitur, ita intelligo: *Quod si non continent, matrimonium* (Ceanquam perfectius genus quod semper a Christianis appeti debet, ceteris paribus, non concubinatum) *ineundo.* *Melius namque est matrimonium* (nihil de concubinatu additur) *inire, quam uriri.* *Is vero, qui in matrimonio* (non qui in concubinatu sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem (non concubinam) a marito non separari. *Si vero etiam separaret se,* (Ergo non absolute prohibetur separatio etiam voluntaria, etiam in iusto matrimonio) *maneat calebs, aut marito reconcilietur.* *Maritum itidem uxorem* (non concubinam) *non dimittere.* Uno verbo, agitur hic de matrimonio primario, ut potest perfectiori & digniori, quod Christianos semper decet ceteris paribus, h. e. circumstantis temporis, statutis & conditionis aliud non suadentibus, præferre aliis generibus societatum conjugalium. Nulla vero plane mentio hic sit concubinatus. Ceterum notari velim, ex ipso hoc textu probari posse, nequidem omnem solutionem voluntariam in iusto matrimonio prohibitam esse. Quanto minus ergo illicita erit in concubinatu?

Re-

Reliqua hoe §. contenta, cum supra jam confutata sint, repetere opus non est.

Quæ contra Concubinatum ex sacris literis exempla congeruntur, Ad. §. XX.
 infirmissima sunt. De Lamecho ait scriptura, duas illum uxores habuisse, non concubinam. Par ratione libidines hominum & alia crimina, non concubinatus, causæ fuerunt diluvii. Tertio: tolerasse Deum in Patriarchis Concubinatum, satis monstrat rem non illicitam fuisse; cum Sanctitas Divina ad peccata connivere sine maxima impietate dici nequit. Tolerare vero & connivere sunt eadem. Ceterum ratio istius conniventiae adducta, quod scilicet Patriarchæ ex ardentissimo desiderio accelerandi adventum Messiacæ concubinas aluerint, etiam si valde arrideat quibusdam Theologis; fateor tamen eam valde imbecillem & pene ridiculam mihi videri. Quid enim, an sunt facienda mala, ut inde eveniant bona? Sed quicquid hujus demum sit, sufficit Patriarchis frequentissimum fuisse Concubinatum, neque Deum unquam illum improbabile. Imo ex Genes. XVII, 18. 20. & XXI, 9 - 21, clarissime appetat, Deum ipsum Sarum, ut primariam uxorem Abramini, digniorem quidem habuisse, sed concubinatum tamen cum Hagare approbat filioque Israeli benedixisse, & simul etiam præcepisse, ut dimitteret uxoris causa Hagarem. Quid quæsto clarius posset pro concubinatu afferri? At si Deus tum temporis approbat concubinatum, approbat sane omni tempore, nec hodie peccatum esse potest, quod olim Sanctitati divinæ non erat aduersum.

Ex silentio igitur Legis Mosaicæ omnino recte argumentatur Dn. Ad §. XXI.
 Thomasius eam permisisse Concubinatum, ante illum frequentem licitumque. Tantum abest, ut *implicite* præcepto sexto prohibitus fuerit. Ante Reges vero in usu non fuisse, falso dicitur, ut jam supra demonstravimus. De libello repudiū etiam supra ex Seldeno certiora attulimus.

Poenam stupratarum ab Absolome concubinarum Davidis, 2. Sam. XVI, Ad §. XXII.
 22. ob concubinatum ipsum a Deo permisum fuisse & 2. Sam. XII. 11. refellitur, ex quo loco appetat, malum hoc Davidi ob adulterium & homicidium in Uriam commisum, a Deo excitatum fuisse.

Nullibi vero legimus, pellicatum Davidis a Deo improbatum; sed potius ex facto Absolonis & ex poena Dei 2. Sam. XII, 11. pater, Absolomon Davidi injuriam fecisse; quo ipso iustum fuisse ejus concubinatum necesse est. Nec enim illi sit iuria, qui ne ipse quidem jus circumare habet. De concubinis Salomonis *externis & gentilibus* verum est, in causa eas fuisse tragici ipsius in idolatriam lapsus. Hæc vero indolatria, non ipse concubinatus, in S. Scriptura reprehenditur; quod clarissime intelligitur ex 1. Reg. XI, 4. ubi hæc verba leguntur: *Factum est in primis circum tempus senectutis Salomonis, ut uxores ejus inclinaverint cor ejus post Deos alios, ita ut non fuerit cor ejus perfectum cum Iehova Deo suo, sicut cor Davidis.* Atqui vero David etiam quam plurimas habuit pellices, & tamen cor ejus fuit perfectum cum Deo suo. Addendum his rationibus Dn. Thomasum p. 17. lit. b. non diffieri concubinatum cum ancillis sive concubinis religionis ethnicae aut Judaismo nondum initiatis, Jure Mosaico illicitum fuisse.

add §. XXIII.

Quod §. 23. habetur, mera & confusio. Et primo quidem, qua ratione Calovius adducatur, & quid per orthodoxos suos, itemque per verba *quicquid sit de Pontifice &c.* velit, ego sane non intelligo. Nec enim opus habent pseudorthodoxi nostri hac parte Pontificios ut accusent, cum utrique videantur hic amicissime compirare. Id scilicet probavit Dn. Thomasius, concubinatus & scortationis confusionem omnem a Clero Papali ortum trahere. Quare potius gratiam meretur iste Clerus apud nostrates, eandem confusionem mordicus defendantes. Porro cum Dn. Adversarius credat, pleraque exempla concubinatum de legitimis matrimoniis intelligenda esse; (quod quidem absque probatione gratis dicetur) quid opus est *testimonis agniti turpitudinis?* quæ *testimonia, si rationibus justis inniterentur, & talibus, quæ a Dn. Thomasio non iam essent exploratae, vel quæ a Dn. Adversario contra schediasma Halense defendentur, digna forte haberemus attentione.* Cum vero solum allegentur, vel, ut est verosimile, allegationes locorum ex schediasmate saltem Halensi descriptæ sint, nihil aliud reponimus, quam Dn. Adversarium responsionem nostram eodem loco invenire posse, ex quo textus Juris allegatos descripsit. Id quod etiam de textu Juris Canon. monaco, quem tamen Dn. Adversarium magis ad jocum crediderim adduxisse, quam ut probationis ejusdam loco sit; cum rationes adeo contineat absurdas, ut vix risum tenere queant, quotquot legunt.

Copia

Consentientes habere Dn. Adversarium plerosque vel omnes recentiores Theologos & JCros, id quidem non opus erat monere, cum id jam ante eum Dn. Thomasio satis notum fuerit, neque dissertatione dissimulatum.

Sed cum in fine examinis de scandalo quedam adjiciat Dn. Adversarius, *Ad §. XXV.* monendum est, ut prius discat, quid sit scandalum, quam alios scandali *dati sive ultimum.* acuseret. Nam si omnis veritas ex ea ratione supprimi debet, ut ne homines praejudicis nugsque pseudorthodoxie immergi scandalum *accipiant;* quid quoero hoc est aliud, quam arro gare sibi infallibilitatem, & in conscientias tyrannidem exercere, qua nihil magis dedecet Christianum. Optime vero Augustinus, quem Dn. Adversarius adducit: *In eternum, ait, STULTITIAE pena luenda est, quem falsa opinio decepterit.*

§. XV.

Ad Te jam accedo, Clarissime ZIROLDE, non quidem ut tecum Recensetur digladier, sed ut gratuler de triumpho, quem canis ante victoriam. Egregie atq[ue] confuta-
fane agis, atque modo plane diverso a certis commilitonibus. Nam cum tu scriptum
hi sumnum adhibeant studium, ut artificiose solvant nodum Gordium, tu Germani-
exemplo Magni Alexandri, moræ impatiens, uno istu discindis. Erratis, cum Dni. Zi-
nquis, nec scitis scripturam, nec vim Dei. Quæso autem, cur adeo erramus,
mi Doctor? *Quia,* respondes, *vos estis illi, qui non intelligunt scripturas.*
Sed quid sit, ut tu intelligas solus cum tuis similibus, nos ut exco nihil videamus? *Malitia, aīs, facit, ut scire non velitis, quæ nobis adversantur.* Ita ergo
erramus, nos miseris, quia non intelligimus, & non intelligimus, quia errare
volumus. En ergo demonstrationem!

Poteras jam finiri omnem disputationem. Si enim certum est, nos
errare, quod tu quidem in limine statim tam egregio circulo demonstrasti,
jam actum erat de nobis. Sed ut liberalitatem tuam ostenderes, addisti ex-
plicationem Verborum Genes. II, 24. Et erunt duo in carnem unam, atque
ita disputas: *Matrimonium omnino tam gener aliter, (ut mysterium denotat)*
quam specialiter, (ut signum externum rerum divinarum) *sacramentum*
est, Protestantes omnes affirmant, specialissime saltem, ut eadem classe confe-
tur ac baptismus & cena dominica, negant. *Quocirca in schola apostolata Halensi*
§. I. p. 3. valde peccatum est, (man hat sich gar sehr versündigt) quod ibi
argumentatur. *Autor: Quia Pontificis matrimonium pro Sacramento habent,*

SOLUM propter eas concubinatum ab illis prohibitum fuisse. Sed cum Protestantes negent, matrimonium esse Sacramentum, concubinatum inter Christianos non solum tolerandum, sed & iterum introducendum esse. Ita enim, aīs, expressa verba habent ibid. p. 64. §. 35. Hæc sunt verba tua, mi Zirolde, qui bus impudentissimum calumniandi animum, malitiamque tuam prodere non erubescis. Aīs, in schediastmate Halensi p. 3. asserti, *Concubinatum SOLUM ex principio Papali de Sacramento matrimonii prohibitum esse.* Ad. dis, *ibidem* p. 64. introductionem concubinatus suaderi. Ubi est tua frons, mi homo? Itane sufficit fucatis verbis, suspiriis, exclamationibusque zelum pietatis ostentare, & omnem ipsa re excusare, non dicam pietatem, qua nunquam in te fuit, sed humanitatem, quam violari gentiles quoque detestantur. Adducam verba Dn. Thomasi, ad quæ te refers. Pag. 3. ait: *Quod vero hodie concubinatus pro stupri, aut fornicationis, aut adulterii specie habetur, ejus origo debetur Juri Canonico,* & NB. EX PARTE hypothesis Juris Pontificis, quod matrimonium sit Sacramentum. Et pag. seq lit. d. addit: *Dico EX PARTE;* nam confusio ista concubinatus, cum stupro, scortatione, adulterio, haud dubius antiquior dogmate de Sacramento matrimonii. Conf. interim de origine doctrine de 7. sacramentis Zigler. ad Lancel. l. 2. tit. 1. §. 2. p. 301. in fine. Alter locus p. 64. §. 35; quo re introductio concubinatus suaderi dicitur, hic est: *Interest Juris Consulti, ut in questione an in Republica Christiana tolerari posfit, aut iterum introduci debeat concubinatus unus cum una, rejectis insufficientibus rationibus, alias genuinas & evidentes substituat;* quales sunt, quæ p. 65. lit. c. indicantur, verbis, qua supra §. 1. integra descripsimus.

Ceterum tota tua disputatio contra abusus concubinatum, vel contra concubinatum legitimo matrimonio superinductum, dirigitur; quo iterum stratagemate facilissimum fuit in cautos decipere lectores. Quod vero ad tuum Abracadabra attinet, qua vocem Hebraicam Isch & Ischab Genes. II. 23. explicas per fortē motionem ignearum & frugiferarum virium, & quæ sunt alia hujusmodi obscurissima, ex quibus contra nos disputas, quæfo quis ratione sana non destitutus, inanæ istas nugas curet? Si hoc tibi est scripturas intelligere, tu confusione Babyloniam inducis, atque tenebras pro luce venditas; quibus solus uti posses pro lubitu, sed si ex his argumen-

tis

tis contra nos pugnas, Andabatarum more agis, atque commiserationem potius, quam responsionem mereris.

Possem contradictionem tuam, qua sub finem ex Gerardo statuis, in V. T. conjugium non suisse Sacramentum, quod introitu affirmaveras; possem omnis status controversiae mutationem, qua a te committitur; possem denique nugas alias notare; Sed, ut initio dixi, non ut tecum pugnam, qui ubique impudentissimum sophistam agis, ad te accedo, sed ut gratulerem triumpho, quem tu quidem solus canis ante victoriam, quid? quod ante pugnam.

§. XVI.

Alia tecum mihi ratio ineunda est, sanctissime PETRE ENCRATI. De S. Petri TA, quandoquidem laudem omnino meretur studium tuum, conciliandi Enratiae E- opiniones, ut tibi videntur, specie saltē diversas. Id solum optarem, ut qua p̄stola que- tu uteris ratione, finem assequereris, quod quidem vix est verosimile. *dam monen-*
Supponis: nullum esse discriminem inter concubinatum & instum ma-
trimonium, cum omne matrimonium tibi sit etiam dissoluble, &
in concubinatu etiam adsit affectio maritalis, quatenus pro amore &
dilectione generali sumitur; dissolubilitatem tamen tam in matrimonio,
quam in concubinatu esse contra perficiorem indolem Christianismi. In eo
saltē differre matrimonium & concubinatum, quod illud effectibus civilibus sit
præditum, atque adeo dignius, hic iis definitus. Atque hec omnia credis,
utramqne partem adversariam facile concessuram, neque opus esse, ut invi-
cem disputerent. Ast vero, (1.) quod tu putas, ratione dissolubilitatis non
differre matrimonium & concubinatum, in utroque tamen dissolubilita-
tem perfectiori indoli Christianismi adversari, cum grano solis id accipien-
dum est. Etiam si enim omnis solubilitas in matrimonio mala non sit, ea ta-
men major est & laxior in concubinatu; adeoque differunt saltē gradu,
ita ut matrimonii solutione de Jure Civili graviores cause omnino requi-
rantur, cum in concubinatu leviores, imo levissimæ, sufficiant. Ibi etiam so-
lennitates & judicialis sententia accedere debent, hic ad beneplacitum
mariti sit dimisio. Porro etiamsi Dominus Thomasius ultro fateatur
in Fundament. Jure Nat. & G. dimissionem frequentiorem, & que
sit ob quasvis levissimas causas, indicium esse vagi animi, gravemque
virum non decere; cavendum tamen est, ne confundantur principia
honesti

honesti & decori, cum principiis justi, cum ejusmodi dimissio concubinæ
 s̄epe contra decorum & honestatem fieri queat, nunquam tamen justitiam
 l̄adat, cum jura permittant in concubinatu omnem dimissionem pro lubitu.
 Interim perfectior indoles Christianismi quandoque exigit, ut juri stricto
 lenitas & mansuetudo præferatur, quod cujuslibet conscientiæ relinquendū est.
 His ita præmonitis dubito (2.) an Dn. Abbas ista omnia conces-
 surus sit, cum tota ejus disputatio monstrat, eum impugnare omnem omnī
 no dimissibilitatem, nec ullum admittere velli genus matrimonii aliud, quam
 quod insolubile, perpetuum, & æquale sit. Ut inde videas, mi Enratita,
 tuis mediis conciliationem non fieri, neque in speciem saltem pugnari :
 Quanquam, cum tu in plerisque nobiscum consentias, eo ipso videaris con-
 cedere, Dn. Abbatii rationes sufficientes non esse, ut dissentiat, quod & nos
 supra demonstravimus. Tantum igitur abest (3.) dedisse Dn. Thomasium
 præter mentem dissertatione sui occasionis, ut notarentur duæ diversi-
 tis notæ inter matrimonium & concubinatum, difficiens affectio maritalis &
 insolubilitas. Tu enim ipse, siquidem contradicitionibus liber esse cu-
 pis, concedis, affectionem maritalem, quatenus pro communicatione digni-
 tatis mariti civilis sumitur, a concubinatu recte abesse ; concedis etiam §. XVI.
 n. 8. solubilitate aliquam esse differentiam matrimonii & concubinatus.
 Sed ut verum fatear, videris ipse tibi non in omnibus constare ; & quam
 optime fecisti, quod illustrationem dissertationis illustris Dn. Thomasii, de
 qua §. XIX. mentionem facis, omiseris, cum fortasse rem omnibus clarissi-
 mam obscuram reddidisses. Interim laudandus omnino est conatus tuus,
 atque dolendum, illo exoptatum finem, ut est verosimile,
 te vix consecuturum esse.



94 A 7390


94 A 7390



108

Retro

VDA7



MARCI PAULI ANTONINI,
PHILOSOPHI TRIBOCCI,
CONFUTATIO DUBIORUM,
qua contra Schediasma Halense
DE
CONCUBINATU
MOTA SUNT.

Argentorati, A.O.R.M.DCC.XIV.

(Wii.)

